An. et vol. CXIV | 2 Septembris 2022 | N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSISTORIA

Consistorium Ordinarium Publicum: Titulorum assignatio.*

Pubblichiamo di seguito l'elenco del Titolo assegnato dal Santo Padre Francesco a ciascuno dei nuovi Cardinali nel momento della creazione nel Concistoro Ordinario Pubblico di questo pomeriggio:

CARDINALE	TITOLO /	DIACONIA
Card. Arthur Roche	Diaconia	S. Saba
Card. Lazzaro You Heung-sik	Diaconia	Gesù Buon Pastore alla Montagnola
Card. Fernando Vérgez Alzaga, L.C.	Diaconia	S. Maria della Mercede e Sant'Adriano a Villa Albani
Card. Jean-Marc Aveline	Titolo	S. Maria ai Monti
Card. Peter Ebere Okpaleke	Titolo	Ss. Martiri dell'Uganda a Poggio Ameno
Card. Leonardo Ulrich Steiner, O.F.M.	Titolo	S. Leonardo da Porto Maurizio ad Acilia
Card. Filipe Neri António Sebastião do Rosário Ferrão	Titolo	S. Maria in Via
Card. Robert Walter McElroy	Titolo	S. Frumenzio ai Prati Fiscali
Card. Virgilio do Carmo da Silva, S.D.B.	Titolo	S. Alberto Magno
Card. Oscar Cantoni	Titolo	S. Maria «Regina Pacis» a Monte Verde
Card. Anthony Poola	Titolo	Ss. Protomartiri a Via Aurelia Antica
Card. Paulo Cezar Costa	Titolo	Ss. Bonifacio ed Alessio
Card. Richard Kuuia Baawobr, M. Afr.	Titolo	S. Maria Immacolata di Lourdes a Boccea

* Die 27 Augusti 2022.

Card. William Seng Chye Goh	Titolo	S. Maria «Regina Pacis» in Ostia mare
Card. Adalberto Martínez Flores	Titolo	S. Giovanni a Porta Latina
Card. Giorgio Marengo, I.M.C.	Titolo	S. Giuda Taddeo Apostolo
Card. Jorge Enrique Jiménez Carvajal, C.I.M.	Titolo	S. Dorotea
Card. Arrigo Miglio	Titolo	S. Clemente
Card. Gianfranco Ghirlanda, S.I.	Diaconia	SS. Nome di Gesù
Card. Fortunato Frezza	Diaconia	S. Maria in Via Lata

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus beato Tito Brandsma Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt» (*Lc* 23, 34).

Dachaviensi in campo captivis custodiendis, die XXVI mensis Iulii anno MCMXLII dies suos conclusit beatus Titus Brandsma, indelebilem in animis captivitatis sociorum suorum relinquens memoriam: exadversum regiminis nationalis socialistarum crudelitatem, per quod in vincula coniectus necnon in corpore et in animo omnimodo periclitatus, vir hic mitis, cuius vita iam ad eandem Christi similis, omnibus pectore ab imo ignovit.

Die XXIII mensis Februarii anno MDCCCLXXXI natus, parvulo in vico v.d. *Ugokloster* prope oppidum *Bolsward*, in Frisia, Anno Siardus Brandsma vocationem suam religiosam in familia a solidis radicibus catholicis maturavit. Sex ex filiis a familia Brandsma natis, quinque tunc vitam religiosam elegerunt. Primum Anno fratres franciscanos petivit, sed ob suam infirmam valetudinem ab eis non est acceptus. Elegit igitur Carmelitarum Ordinem ingredi, etiam propter eius marialem pietatem et charisma illud a quo rapiebatur et quod apte vitam actuosam eidem solitariae componere posset. Die XXII mensis Septembris anno MDCCCXCVIII Carmelitarum novitiatum in oppido v.d. *Boxmeer* ingressus est et nomen patris sui Titi assumpsit. Studia sua tam philosophica quam theologica in *Boxmeer*, *Zenderen* et *Oss* perfecit et, post ordinationem sacerdotalem, quam in ecclesia cathedrali die XVII mensis Iunii anno MCMV in oppido Silva Ducis v.d. *s'Hertogenbosch* in Brabantia accepit, ad Romam missus est ut studia philosophica apud Pontificiam Universitatem Gregorianam et sociologica apud Collegium Apostolicum Leonianum pergeret. Ab eodem tempore etiam nonnullis actis diurnis et ephemeridibus Neerlandiensibus interfuit. Studiis anno MCMIX confectis, Neerlandiam rediit, in oppidum *Oss*, ut se ad docendum dederet in sede alumnorum Carmelitarum et in arte diurnariorum; diarium periodicum *Karmelrozen* nuncupatum

instituit atque scriptorum moderator diarii *De Stad Oss*, id est Oppidum Oss, factus est, cum sanctae Teresiae a Iesu opera edere incepit, quae in Neeerlandiensem sermocinationem sunt conversa. Zamenhofianae linguae cultor, plane socius Catholicae Unionis Zamenhofianae Neerlandiensis fuit. Ab anno MCMXXIII ad annum MCMXLII filosophiam et mysticae historiam apud novam Universitatem Catholicam Noviomagi Batavorum docuit atque anno MCMXXXII eiusdem Rector Magnificus est creatus. Catholicorum diurnariorum Sacerdos curator anno MCMXXXV ab Archiepiscopo Traiectensi De Jong nominatus, tessera internationali diurnariorum recte instructus est. Hoc munere fungens, primis diebus mensis Ianuarii anno MCMXLII scriptiones catholicorum diariorum visitavit ad directorias Episcoporum Neerlandiensium committendas atque moderatores adhortandos ut regiminis socialistae nationalis instantiis resisterent, quod iam Neerlandiam quoque invaserat. Cum Noviomagum Batavorum rediisset, die XIX mensis Ianuarii comprehensus est et in carcerem Scheveningensem coniectus, ubi percontatus est, sententias suas socialismo nationali plane adversas in memoriali confirmans. Reconciliationis apostolus, scriptum suum hisce conclusit verbis: « Benedicat Deus Neerlandiam, benedicat Deus Germaniam; tribuat Deus his duobus populis ut quam celerrime rursus pacem adipiscantur, ad Eum agnoscendum atque adorandum congregati, pro amborum salute et prosperitate ». Propter sententias suas adversum politicam nationalem illorum socialistarum erga Iudaeos et strenuam defensionem suam christianismi contra turpia facinora nationalia socialistarum susceptam, pater Titus pro fratre "admodum periculoso" habitus est et in carcerem compactus et quinquaginta diebus segregatus. In illo misero tenebrarum ac solitudinis statu, cellam carceris in eandem coenobii convertit, praesertim apud se ipsum praesentiam Dei animadvertens. Omnia quae docuerat atque vixerat ut magister et contemplativus Carmelita, illis extremis diebus effecta sunt. In solitudine captivitatis suae pulchriora scribere potuit verba, agnoscens se numquam tam beatum fuisse. Passionem Domini reputans, commentarium duodecim Viae Crucis stationibus dicatum et septem capita Vitae sanctae Teresiae a Iesu composuit, antequam in campum distributionis Amersfordiae transferretur, ubi horribilibus in condicionibus vitae ac operis degit. Post transitum per campum distributionis Cliviae, in campum Dachaviensem deportatus est, in

quem die XIX mensis Iunii anno MCMXLII pervenerat. Hic operibus coactis ad campos sationibus implendos destinatus est. Vulnera necnon vitae condiciones asperrimae eiusdem iam exile corpus non tamen spiritum fregerunt. Ab omni odii vel ultionis motu avulsus, ne tortoribus quidem suis pietatem, orationem ac risum detraxit. In campi valetudinarium est receptus, ubi die XXVI mensis Iulii anno MCMXLII acidi fenici iniectio per brachium ei subministrata est. Aegrorum ministrae, quae eum necavit, coronam rosarii largitus est, quam captivus quidam ei comparavit. Iuvenem mulierem, quae donum recusabat affirmans se precari non evalescere, hortabatur ut eadem verba "ora pro nobis peccatoribus" tantum iteraret. Haud dubie corpus suum exanimatum igni concrematum est.

Anno MCMLV in dioecesi Buscoducensi Causa beatificationis et canonizationis coniecta est. His servatis per longum iter canonicum iure rebus servandis, Ioannes Paulus II eum Beatum martyrem renuntiavit papali in Basilica Sancti Pietri die III mensis Novembris anno MCMLXXXV. Profecto primus hic fuit martyr nationalis socialismi. Quoad canonizationem suam, adserta sanatio mira iudicata est, quam die XXVI mensis Novembris anno MMXX Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. In Peculiari Congressu diei XXV mensis Maii anno MMXXI Theologi Consultores intercessioni Beati ipsam tribuerunt et Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei IX mensis Novembris anno MMXXI coadunati, verum esse miraculum censuerunt. Nosmet Ipsi concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die XXV mensis Novembris eodem anno promulgaret atque sollemni in Consistorio die IV mensis Martii anno MMXXII decrevimus, proinde, ut canonizationis ritus beati Titi Brandsma die XV mensis Maii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Romae in foro Petriano inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Chirsti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Titum Brandsma, Lazarum dictum Devasahayam, Caesarem de Bus, Aloisium Mariam Palazzolo, Iustinum Mariam Russolillo,

Carolum de Foucauld, Mariam Rivier, Mariam Franciscam a Iesu Rubatto, Mariam a Iesu Santocanale et Mariam Dominicam Mantovani Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die decimo quinto mensis Maii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 562.997

II

Quibus beato Iustino Mariae Russolillo Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Opus, quod mihi cuncta alia complecti videtur, vocationes ad ecclesiasticum et religiosum vitae statum et ciere et inquirere et excolere est » (*Epistola ad Rachelem Marrone*, diei VI mensis Decembris anno MCMXVII).

Tertius decem liberorum, beatus Iustinus Russolillo die XVIII mensis Ianuarii anno MDCCCXCI natus est, in vico v.d. *Pianura di Napoli*, Puteolana in dioecesi, ex coniugibus Aloisio Russolillo, parvo conductore aedilicio, et Iosephina Simpatia, domiseda et optima vestifica. Amitae Henrica et Ioannula Iustini culturalem educationem et institutionem moverunt, qui mox inter aequales eminuit propter singulare ingenium, distinctam ad studium propensionem, docilitatem pietatemque profecto insignes. Quinque annos natus, primam communionem accepit et statim amore Iesu Eucharistiae est incensus. Rogantibus eum quid acturus esset adulta aetate, confestim prompteque respondebat: « Presbyter fiam ». Decem annos natus, Seminarium Puteolanum est ingressus, ubi, examinibus ad classem assequendam eleganter superatis, secundum gymnasii curriculum prorsus frequentavit et humanitatis studia atque primum biennium theologiae feliciter complevit. Pausilypi-Neapoli in Seminario Regionali, a patribus Societatis Iesu ducto, theologica studia magno cum merito explevit, aureum assequens nomisma. Puteolana in Ecclesia cathedrali die XX mensis Septembris anno MCMXIII sacerdotio est auctus. Dum sacra celebrabantur et a congregatione sancti invocabantur, dominus Iustinus votum ad Congregationem religiosam pro vocationibus instituendam suscepit. Suo in pago ministerium exercens, cotidie ad pueros atque adulescentes catechismum praebere perrexit. Magis magisque fervida pro vocationibus cura solidabatur, eandem in aliis alens flammam. Die XXX mensis Aprilis anno MCMXIV, in festo sanctae Catharinae Senensis, in paterna domo, vitam communem cum nonnullis pueris inchoavit, ita Vocationarii initium faciens, quod idoneus ad vocationes discernendas

erat locus pueris et adulescentulis, egenis maxime, ad sacerdotium vel ad vitam consecratam intentis, sed nondum probe paratis Seminaria, Ordines religiosos et Congregationes ingredi. At Episcopus dioecesanus eum prohibuit quominus persequeretur. Quod aequo animo ad instar sanctorum tulit: «Crucis sumus filii, voluntatem nostram ergo sacrificemus illi Superiorum, sicut Iesus suam sacrificavit illi Patris», ait suos ad adulescentulos. Ad arma vocatus bellico in conflictu inter annos MCMXV et MCMXVIII, militari valetudinario destinatus est, ubi, quarundam sororum vulneratos succurrentium et adiuvantium zelum inspiciens, mulierum Congregationis consilium in animo volvit, quae lateri eiusdem virorum adiungeretur in ministerio pro vocationibus. "Sanctorum institutio" erat "finis eius necessitudinis cum proximo", quod "sanctus opus Dei est praestantissimum, splendor gloriae Dei"; aliud propositum erat sacerdotum institutio, quia "sacerdos minister est Dei ad sanctos conficiendos" (*Epistolae selectae*, diei XIII mensis Augusti, anno MCMXVIII, p. 62). Cum parochus eius pagi nominatus est, anno MCMXX, statim vitam communem cum duodecim adulescentulis repetivit, qui se accomodavere in locis domi paroecialis Sancti Georgii martyris. Sic ortum est primum institutum vitae consecratae, Societas Divinarum Vocationum nuncupatum, vulgo Religiosorum Vocationistarum appellatum. Insequenti anno, vesperi diei I mensis Octobris anno MCMXXI, puellae quaedam *Piae Unionis*, consociationis item ab eo conditae et operae pro vocationibus participis, una cum Rachele Marrone, "ferventem catechistam" et suam animatricem, in communem vitam se contulerunt. Sic orta est Congregatio religiosa Sororum Divinarum Vocationum. Serius soror eius Ioanna Mater Generalis est renuntiata atque valde contulit ad puellarum Operam augendam. Ea ductrice, nonnullae aliae adulescentulae vocationem invenerunt vel confirmaverunt ad vitam consecratam laicalem, eundem famulatus spiritum pro vocationibus communicantes. Quae et primum fuere mulierum Instituti saecularis fermentum, in posterum annum MCMLXXVII ab Ecclesia Neapolitana approbati. Quod hodie est appellatum Apostolae Vocationistae Sanctificationis Universalis. Auctor fecundus atque orator, cum calamo et verbo suae spiritualitatis fundamenta aperuit, in coniunctione cum vita divina trium personarum Trinitatis. Paroecia eius, tempore XXXV annorum impensae actuositatis gratia, per transformantem Verbi atque Eucharistiae

vim, populum cotidianorum communicatorum facta est atque sedes humanae et spiritualis institutionis pro generationibus, quae funestam enavigaverunt duorum mundanorum bellorum undam. Fulgidum eius testimonium multum profuit. Cum sacramenta celebrabat, ea pleniore modo vivere ostendebat. Lacrimae saepe liturgicas celebrationes comitabantur, semper bene apparatas atque compositas. Etiam frater eius Cyrus eum secutus est in sacerdotali et religiosa vita: eius dextella fuit, in aedificatione non modo primi magni Vocationarii sed etiam domorum praeruptarum, ad petitores suscipiendos. Anno MCMLII, iam conspicua experientiae sarcina suffultus, temporum commutationem minime neglegens in societate, incipienti saecularismo correpta, iter monstrabat novum ad paroeciale ministerium atque apparatum explicandum: «Iam non sufficit sacrorum sollemnium usus ac sacramentorum petentibus ministratio, sed fidelium corda singillatim ad Iesum recuperare oportet. Evangelium omnino servandum, totum propagandum est» (*Agenda*, diei XXVII mensis Iulii anno MCMLII). Interea in vocationes suam ponere continuabat vitam, prope multos adulescentulos atque iuvenculas, domos duorum institutorum frequentantes, ob quos difficultates atque acerbitates non defuere. Quae amarae valde factae sunt, cum ecclesiasticae auctoritates, ob falsa crimina de Operae regimine ficta, exceptiones terminosque imposuerunt: admissiones ad novitiatum, ad religiosas professiones atque ad sacros Ordines vetuerunt. Conditor, qui etiam ex munere Superioris Generalis plane est depositus, tantum servans titulum, animum advertit lentam esse suae Operae agoniam. Tamen ad suos religiosos, qui ob tot dolenda, quae Congregationem contigerunt, avocati erant, scripsit: «Dominus, qui eam diligit, forficibus usus est palmitibus suis virentibus: bene caveamus contra forfices murmurare, dum novimus Manus quae eas movent» (*Epistola ad religiosos*, anno MCMXXXV). Caritatem suam vocationalem dilatavit presbyteris atque religiosis, qui eorum vitae statum reliquerunt, quos etiam in eorum dignitatem restituere conatus est. Duarum Congregationum pontificia approbatione recepta, post aliquot annis, anno MCML currente, primam in Brasilia aperuit missionem. Virgini, titulis Caelestis Superiorissae atque Dominae Nostrae Divinarum Vocationum, suas pro vocationibus commendavit operas. Apostolus vocationum et sanctificationis universalis, apostolicis laboribus et re oeconomica calamitosa consumptus, quae et extremos quinque eius

vitae annos excruciavit, fulminea correptus leuchaemia, serene obiit die II mensis Augusti anno MCMLV in pago *Pianura di Napoli*, solacio sacramentorum recepto. Exsequiae vera fuerunt apotheosis, dies festus in "sanctum" parochum. His temporibus consecrati et consecratae trium Institutorum ab eo fundatorum, charismati initii fidelium, viginti in nationibus famulatum populo Dei praebent.

Fama sanctitatis, quae in vita eum circumdedit, ultra increbruit atque firmior post mortem facta est. Episcopus Puteolanus, Venerabilis Frater Salvator Sorrentino, anno MCMLXXVIII, decretum promulgavit quo Causa beatificationis domini Iustini acta est. Inquisitio super vita et virtutibus peracta est ab anno MCMLXXX apud Curiam Neapolitanam et anno MCMLXXXV est conclusa. Exarata positione, consueta examina super virtutibus acta sunt: die VII mensis Februarii anno MCMXCVII Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus fausto cum exitu habitus est. Die XVIII mensis Novembris eiusdem anni Cardinalium Patrum et Episcoporum Ordinaria Sessio celebrata est. Die XVIII mensis Decembris anno MCMXCVII sanctus Ioannes Paulus II decretum super heroicis virtutibus promulgavit. Ad Beatificationem, apud Curiam Patersonensem Inquisitio cognita est de asserta mira sanatione cuiusdam mulieris, annos LIX natae, carcinomate correptae. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum, in Sessione diei VIII mensis Iunii anno MMIX habita, talem sanationem agnovit ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse et Consultores Theologi, Peculiari in Congressu diei XII mensis Decembris anno MMIX, eam intercessioni Venerabilis Servi Dei tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei I mensis Iunii anno MMX eam verum miraculum esse iudicaverunt atque Decessor Noster Benedictus XVI decretum super miraculo promulgavit. Die VII mensis Maii anno MMXI, in pago *Pianura di Napoli* Puteolana in dioecesi sollemnis beatificationis ritus Venerabilis Servi Dei actus est. Quoad canonizationem, producta est deinde alicuius religiosi iuvenis Instituti mira sanatio, a "crisibus toni clonospasmi vulgatis et productis, statu mali comitialis, veterno, gravissima ossium cellularum solutione, peripneumonia ab ingestis, insufficientia spiraminis acuta" correpti, quae die XXI mensis Aprilis anno MMXVI evenit in valetudinario Puteolorum, in quo iuvenis in statu veterni receptus est. Ob casus gravitatem, cuncta Congregatio Vocationistarum beato Iustino seriei

continuatae orationis initium pepulit. Mane diei XXI mensis Aprilis aegrotus repente oculos aperuit, effatus est, artus movit et haud ita multo post alios ministrare coepit. Inquisitio de aestimato miraculo Puteolis acta est a die XIX mensis Iulii anno MMXVII ad diem XXIII mensis Martii anno MMXVIII. Consilium Medicorum Congregationis de Causis Sanctorum diei V mensis Maii anno MMXX habitum agnovit sanationem "celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus nostrae aetatis inexplicabilem fuisse". Die XVI mensis Iunii anno MMXX Consultores Theologi, in Congressu Peculiari congregati, intercessioni Beati eam tribuerunt atque Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei VI insequentis mensis Octobris adunati, verum esse miraculum censuerunt sanationem, intercessioni Beati tributam. Nosmet Ipsi concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum decretum super miraculo die XXVII mensis Octobris anno MMXX promulgaret. Sollemni in Consistorio diei III mensis Martii anno MMXXI decrevimus, proinde, ut eius Canonizationis ritus haberetur atque die IX mensis Novembris eodem anno statuimus ut idem die XV mensis Maii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Romae in foro Petriano inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Titum Brandsma, Lazarum dictum Devasahayam, Caesarem de Bus, Aloisium Mariam Palazzolo, Iustinum Mariam Russolillo, Carolum de Foucauld, Mariam Rivier, Mariam Franciscam a Iesu Rubatto, Mariam a Iesu Santocanale et Mariam Dominicam Mantovani Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic presbyter, pastor secundum Cor Christi, diligentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dedit fidei, spei et caritatis testimonia. Progrediamur igitur, eo intercedente, in vita cotidiana atque in spiritali itinere praecepta evangelica aptiore usque modo servantes.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die decimo quinto mensis Maii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Paulus Lucas Braida, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 565.402

III

Quibus beatae Mariae a Iesu Santocanale Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Qui recipit vos, me recipit; et, qui me recipit, recipit eum, qui me misit» (*Mt* 10, 40).

Sororum ab Immaculata Lapurdensi fundatrix, igne succensa Spiritus Sancti, animadvertit ad mulierem Domino consectandam se vocari, sui temporis pauperibus reiectisque inservientem. Ex Pauperculi Assisiensis schola non modo didicit pauperibus inservire, verum etiam se ipsam esse pauperem, Dei Providentia nisam atque benignitate Siculae gentis. Iesum Eucharistiam usque adorans, donum in se recepit ut humile instrumentum fieret Christi caritatis atque in Virgine Immaculata imitanda, Patris voluntati oboediente serva. Caritas, paupertas et quod penitus se Domino tradidit testamentum sunt quod mater Maria a Iesu suae Congregationi praebet et Ecclesiae.

Maria a Iesu, saeculari nomine Carolina Sanctocanale appellata, Panormi die II mensis Octobris anno MDCCCLII nata est, filia Iosephi Santocanale et dominae Catharinae Andriolo Stagno. Die IV mensis Octobris anno MDCCCLII cum Baptismi lavacro ablueretur, nomina ei indita sunt Carolina, Concepta, Angela. Quadragesimalis praedicationis tempore, quam in cathedrali templo Panormitano presbyter Di Giovanni, eius pristinus praeceptor, egit, Dominum vocantem percepit. Ex eo die magis ac magis impulsa est ad Dei Verbum meditandum, idque in agendi mores transferendum. Domi materni avi morientis, undeviginti annos nata, Cinisensem archipresbyterum Maurum Venuti convenit, quem spiritalem moderatorem elegit. Primum ingredi voluit monasterium Sanctae Catharinae, at pater, qui Carolinae iam paratum habebat matrimonium, non est assensus. In paroecia Sancti Antonii Abbatis Panormi parochus Piam Unionem Filiarum Mariae condidit, et cum Carolina significaret se velle participare, pro eiusdem fervido apostolico spiritu, ipsam constituit Moderatricem, die XX mensis Novembris anno MDCCCLXXIII. Autumni tempore anno MDCCCLXXX, cum apud aviam commoraretur in oppido Cinisi, duas puellas et adulescentem paralyticum

cognovit, quibus, consentiente parocho, catechismum tradere statuit. Ex quo dubia cogitatione Carolina distrahebatur, utrum de vita contemplativa cogitaret, an activam amplecteretur. Omnia sistere visa sunt, cum die IX mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIV acerrime ex cruribus laborare coepit, quod eam in lecto affixit. Sex menses in hac condicione mansit. Postea penitus sanata, Iacobum Cusumano, sacerdotem, convenit qui inceptum inchoavit "buccellam pauperis", ut aiebant, et voluntas est renovata se consecrandi. Denuo consilium petiit a moderatore spiritali, sacerdote Mauro Venuti, qui ad spiritalitatem sancti Francisci Assisiensis eam vertit. Die XIII mensis Iunii anno MDCCCLXXXVII, in sacello Collegii Mariae Cinisensis, a presbytero Venuti nigrum vestimentum Tertiariarum Regularium recepit, nomen sumens sororem Mariam a Iesu. Subsequentibus duobus mensibus ei se adiciunt aliae iuvenes atque die XI mensis Februarii anno MDCCCXCI communitas avorum domum se contulit, quam paulo ante hereditate obtinuerant parentes. Inter Martium et Iunium mensem anni MDCCCXCVI conditum est orphanatrophium. Institutum repente crevit: asylum infantium, institutorium, consuturae opificium sunt parata, sed eodem tempore, nonnullas propter dissensiones cum presbytero Venuti, ad fratres Capuccinos confugit, qui spiritaliter eam iuvarent. Tunc utique pater Ioannes Maria Schiavo, Capuccinus, spiritalium exercitiorum per occasionem, eam cognovit eiusque consorores. Eius causam sibi sumpsit: Constitutiones comparavit novae Congregationis, obtinuit ut Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum aggregaretur et effecit ut canonice erigeretur velut dioecesani iuris Institutum. Post sollemnia iuris acta die XIII mensis Iunii anno MCMX Maria a Iesu est appellata mater fundatrix Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi atque una cum ea aliae undecim sorores vestimentum fuscum induerunt, simile Capuccinorum. Die XI mensis Februarii anno MCMXI mater Maria a Iesu vota religiosa nuncupavit atque subsequenti die XXIX mensis Novembris anno MCMXI professionem recepit undecim noviciarum. Duae tamen graves probationes accessurae erant. Magno sanitatis incommodo afficiebatur, quocirca sectionem chirurgicam iniit. At potissimum ex animi probationibus ob suam eximiam fortitudinem eminuit. Prorsus ad morem gerendum parata, Archiepiscopi Montis Regalis Antonii Augusti Intreccialagli deliberationibus oboediit, etiam cum perdifficiles esset quae reciperentur. Suo in corde, spe repleto, noverat omnia ad boni

Dei consilium completum iri. Sic evenit ut mense Ianuario anno MCMXXIII omnes dissensiones dissolverentur. Die XXVII mensis Ianuarii anno MCMXXIII multum est mater Maria a Iesu operata. Circiter hora XXIII animadvertit vehementer cor pulsare. Sororibus circumdata tranquille obiit nomen Iesu habens in labiis ac sancti Ioseph intuens effigiem.

Canonizationis Causa casus exhibitus est, qui ad inexplicabilem renovationem plenam ac spontaneam spectat, una cum reparata fertilitate, alicuius iuvenis sponsae miasthenia gravi, thyroide Hasimoto, syndrome insufficientis procreationis autoimmunis laborantis. Res Cinisi in pago Panormitanae archidioecesis accidit, cum iuvenis sponsa se necopinato praegnantem mense Decembri anno MMXVI animadvertit, unde sanus infans ortus est. Sex circiter post menses quam primum filium peperit, denuo iuvenis mater gravidata est, atque alterum genuit filium. De utraque graviditate apud Curiam ecclesiasticam Montis Regalis a die XX mensis Martii anno MMXVIII ad diem X mensis Aprilis anno MMXIX Inquisitio dioecesana acta est. Decretum iuridicae validitatis a Congregatione de Causis Sanctorum die XX mensis Septembris anno MMXIX editum est atque Medici Consultores, die XXVIII mensis Ianuarii anno MMXXI, unanimiter declaraverunt ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse eventum. Consultores Theologi die I mensis Iunii anno MMXXI item unanimiter mirum eventum beatae Mariae a Iesu tribuerunt. Die XIX mensis Octobris anno MMXXI Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati, id verum miraculum iudicarunt. Nos Ipsi, die XXV mensis Novembris anno MMXXI, facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo evulgaret. Tandem in sollemni Consistorio, die IV mensis Martii anno MMXXII, statuimus ut canonizatio ageretur, Nobis praesidentibus, die XV mensis Maii anno MMXXII.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Titum Brandsma, Lazarum dictum Devasahayam, Caesarem de Bus, Aloisium Mariam Palazzolo, Iustinum Mariam Russolillo,

Carolum de Foucauld, Mariam Rivier, Mariam Franciscam a Iesu Rubatto, Mariam a Iesu Santocanale et Mariam Dominicam Mantovani Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die quinto decimo mensis Maii, anno Domini bis millesimo vicesimo altero, Pontificatus Nostri decimo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 574.220

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Dei Servis Benedicto de Sancta Coloma De Gramenet ac duobus Sociis caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Si exprobramini in nomine Christi, beati, quoniam Spiritus gloriae et Dei super vos requiescit [...] si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine» (*1 Pe* 4, 14-16).

Hostilia adeversus Ecclesiam ac persecutiones in Asturiae regione inde a tertio decennio ineunte saeculi XX usu venerunt, at consequentibus annis amplior, dispositior ac saevior adversus Ecclesiam persecutio facta est. Minorissae, in Catalonia, pos die XVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI adversus presbyteros, religiosos, laicos persecutio cruentior fieri coepit. Quattuor post diebus, die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI ac paucos ante dies quam tres Servi Dei sunt interempti, eorum conventus a militibus Marxianis et anarchicis est occupatus, vastatus et incensus. Ad familiares amicosque perfugere Venerabiles Servi Dei coacti, diverso tempore ac similibus condicionibus sunt capti, torti et sine iudicio interempti.

1. Pater Benedictus de Sancta Coloma de Gramenet (in saeculo: Iosephus Doménech Bonet). Die VI mensis Septembris anno MDCCCXCII Sanctae Colomae Hispaniae natus est, anno MCMIX Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum est ingressus atque die XXIII mensis Februarii anno MCMXIII perpetua vota nuncupavit. Presbyterali Ordine die XXIX mensis Maii anno MCMV est auctus. Magistri novitiorum, definitoris ac Guardiani conventus Minorissae functus est munere, qui die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI est occupatus ac militibus Marxianis vastatus. Postquam collecti religiosi de perniciosis condicionibus certiores sunt facti, Servus Dei iussit extemplo conventum vacuefieri. Fratres secura loca petierunt. Servus Dei autem in rusticam domum se contulit, quae appellabatur Casajoana, apud Minorissam, in quam

die VI mensis Augusti anno MCMXXXVI militum manipulus irruit. Servus Dei cognitus, blasphemare est coactus, sed ipse absque cunctatione renuit.

2. PATER IOSEPHUS ORIOL DE BARCINONE (in saeculo: Iacobus Barjau y Martí). Barcinone die XXV mensis Iulii anno MDCCCXCI natus est, anno MCMVI Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum est ingressus atque die XV mensis Augusti anno MCMXI perpetura vota nuncupavit. Presbyteralem ordinationem die XXIX mensis Maii anno MCMXV recepit. Liturgiam, Hebraicam linguam et historiam eclesiasticam docuit apud theologicum institutum Sarrianense. Ab anno MCMXXV in conventu Minorissae est commoratus. Servus Dei conventum deserere est coactus atque, die XXIV mensis Iulii anno MCMXXXVI, dum sacram eucharistiam ad Clarissam quandam sororem deferret, a militibus cognitus atque perductus autocineto onerario paulo extra urbem est interemptus.

3. PATER DOMINICUS DE SANT PERE DE RIUDEBITLLES (in saeculo: Ioannes Romeu y Canadell). Die XI mensis Decembris anno MDCCCLXXXII in oppido Sant Pere de Riudebitlles, in Hispania, anno MCMVIII Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum est ingressus atque, die IV mensis Octobris anno MCMXII, vota perpetua nuncupavit. Die XXV mensis Maii anno MCMXVII sacerdotalem ordinationem recepit. Missionarius in Costaricham ac Nicaraquam missus est, ubi usque ad annum MCMXXX mansit. Patria repetita, in Minorissae conventu vixit, qui die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI est occupatus. Servus Dei, cum conventum relinqueret, a militibus noctu inter XXVII et XXVIII diem anni MCMXXXVI est cognitus et est necatus.

Fidei testificatio Servorum Dei Benedicti de Sancta Coloma de Gramenet, Iosephi Oriol de Barcinone, Dominici de Sant Pere de Riudebitlles necessitatem secum fert evangelizationis quae difficiliora implicatioraque contingere valeat. Quippe qui Christi Evangelio suaeque consecratorum condicioni essent fideles, tres Servi Dei in se receperunt se esse semen qui cecidit in terram bonam, multum, fecundum ac mansurum ferens fructum, quod eadem opera mundi lux esse ac terrae sal valet.

Capuccinorum Cataloniensis provincia anno MCMLI incohare statuit Causam de martyrio Servorum Dei Minorissae necatorum. Processus Ordinarius super fama martyrii apud Vicensem dioecesim a die XVIII mensis Aprilis anno MCMLV ad diem XII mensis Septembris anno MCMLVI est celebratus. Processus de non cultu die XXV mensis Octobris anno MCMLIII est celebratus. Processus rogationalis apud Curiam Sancti Pauli in Brasilia a die XIV mensis

Septembris ad diem V mensis Octobris anno MCMLV est instructus. Postquam scripta per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XII mensis Aprilis anno MCMLXI sunt comprobata atque his observatis rebus iure statutis, intra diem XXIX mensis Octobris anno MCMXCVII et diem V mensis Aprilis anno MM Inquisitio dioecesana habita est, atque a die XIII mensis Februarii anno MMVI ad diem XXVII mensis Iunii eiusdem anni in dioecesi Vicensi Iquisitio suppletiva dioecesana est peracta. Processus a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die XXX mensis Maii anno MMVIII sunt comprobata. Positionem super martyrio comparatam die XXIV mensis Ianuarii anno MMXIV Consultores Historici comprobaverunt. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die XVIII mensis Maii anno MMXIX felici cum exitu evenit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XXI mensis Ianuarii anno MM agnoverunt Servos Dei Benedictum de Sancta Coloma de Gramenet, Iosephum Oriol de Barcinone, Dominicum de Sant Pere de Riudebitlles ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam sanguinem fuderunt. Nos Ipsi die XXIII mensis Ianuarii anno MMXX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de miraculo ederet Decretum ac statuimus ut beatificationis ritus die VI mensis Novembris anno MMXXI Minorissae in Hispania ageretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro, Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabiles Dei Servos Benedictum de Sancta Coloma de Gramenet, Iosephum Oriol de Barcinone, Dominicum de Sant Pere de Riudebitlles.

Nos, vota Fratris Nostri Romani Casanova Casanova, Episcopi Vicensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Benedictus de Santa Coloma de Gramenet, Iosephus Oriol de Barcinone et Dominicus de Sant Pere de Riudebitlles, Sacerdotes professi ex Ordine Fratrum Minorum Cappuccinorum, martyres, Christi mites discipuli, usque ad sanguinis effusionem eius testes, Beatorum nomine in posterum appellentur, atque die sexta mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignes hos caelites palam honorare, qui eximias dederunt intrepidae fidei testificationes, cum suam vitam inpenderent in beneficium

animarum et in salutarem Evangelii veritatem, martyrii per testimonium demonstrandam, unde nostrae aetatis homines incitamentum capiant ad Salvatoris mandata diligentius sequenda.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Novembris, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 551.331

II

Venerabili Dei Servo Ioanni Francisco Macha caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Domine Deus meus, in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me» (*Ps* 7, 2).

Venerabilis Servus Dei Ioannes Franciscus Macha flagranter Psalmistae sensus est expertus, cum in vincula coniceretur ac suam propter fidem, caritatem et iustitiam morti obiceretur. Probationis tempore in Deo vim ac mansuetudinem repperit ad Christum persequendum eique se aequandum in vitae cruento sacrificio.

In Polonia, in suburbio Chorzów Stary urbis Chorzów die XVIII mensis Ianuarii anno MCMXIV ortus est. Adulescens sacerdotalis vocationis signa cum percepisset, Seminarium est ingressus ac die XXV mensis Iunii anno MCMXXXIX Katoviciae presbyteralem ordinationem recepit. Cum pastorale opus admodum adamaret, sicut vicarius cooperator est destinatus paroeciae sancti Ioseph in oppido Ruda Śląska. Eodem anno MCMXXXIX Poloniam invaserunt nazistae ac Servus Dei, propter illos christianam fidem aversantes, Polonum cultum interiturum ac persecutionem contra cunctos regiminis adversarios multum est passus. Pro Polonis familiis subsidium ac solamen componere incohavit, patribus, maritis vel filiis, in vinculis detentis atque his de causis interemptis, orbatis. Secreto catechismum docebat et omnibus Dei verbum ac Sacramenta ministrabat. Sacerdos fuit alta precatione ac zelo repletus. Autumni tempore anno MCMXLI apud Katoviciae ferriviariam stationem captus est et ad Praeviae Detentionis Structuram loci Mysłowice delatus. Graviter crebroque est irrisus et tortus. Numquam tamen regimini suam operam praestitit. Sua agendi ratione socios solabatur ac precans a Deo postulabat ut suis persecutoribus ignosceret. Die XVII mensis Iulii anno MCMXLII est capitis damnatus, quippe qui Polonas familias iuvisset atque contra nazistarum regimen egisset. In Katoviciae carcerem est translatus, donec executioni sententia mandaretur. Paucos post menses proxima mors ei est enuntiata; valedicentem epistulam suis familiaribus scripsit ac sacramenta suscepit. Die III mensis Decembris MCMXLII Katoviciae Guillotiniano

supplicio est necatus. Ipsius corporis sepulturae locus est incognitus. Quod quidem in furnis cremandi causa constitutis in loco Auschwitz perhibetur combustum. In coemeterio urbis Chorzów ad precationem et in eius memoriam lapis positus est. Servus Dei conscius fuit suum ob apostolicum opus magnum periculum se aditurum, quod tamen studiosa sedulitate agere perrexit. Hunc propter apostolatum captus est et interemptus. Politica causa eius damnationis perduellionis merum fuit praetextum. Studiosus in ministerio, exemplaris in detentione, ad mortem sine querela se comparavit illo quidem ingenio, «quod et in Christo Iesu» (*Philp* 2, 5) fuit.

Servi Dei martyrii fama apud ecclesialem communitatem est diffusa, usque mansura. Quapropter Causa de asserto martyrio incohata est atque a die XXIV mensis novembris anno MMXIII usque ad diem IV mensis Septembris anno MMXV apud Curiam ecclesiasticam Katovicensem dioecesana Inquisitio celebrata est, cuius Congregatio de Causis Sanctorum iuridicam validitatem agnovit per Decretum diei XIV mensis Septembris anno MMXVI. Positione comparata, die XIX mensis Iunii anno MMXVIII, Congressus Consultorum Historicorum habitus est. Dissertatum igitur est ad consuetas rationes an Venerabilis Servi Dei illud verum fuisset martyrium. Die VIII mensis Novembris anno MMXVIII Congressus peculiaris Consultorum Theologorum favens suffragium tulit. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die V mensis Novembris anno MMXIX verum martyrium eius mortem iudicarunt, sic Nos Ipsi die XX mensis Novembris anno MMXIX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super martyrio ederet ac statuimus item ut beatificationis ritus Katoviciae in Polonia die XX mensis Novembris anno MMXXI celebraretur.

Hodie igitur, ex mandato Nostro, Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Dei Servum Ioannem Franciscum Macha.

Nos, vota Fratris Nostri Victoris Pauli Skworc, Archiepiscopi Metropolitae Katovicensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Franciscus Macha, presbyter dioecesanus, martyr, sedulus pastor, strenuus testis caritatis Christi eiusque Regni veritatis, pacis et iustitiae, Beati nomine in posterum appelletur, atque die altera mensis

Decembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Novembris, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 551.330

HOMILIAE

I

In Consistorio Ordinario Publico pro creatione novorum Cardinalium et pro voto duarum Causarum Cononizationis.*

Questo detto di Gesù, proprio nel mezzo del Vangelo di Luca, ci colpisce come una freccia: « Sono venuto a gettare fuoco sulla terra, e quanto vorrei che fosse già acceso! ».[1]

Mentre è in cammino con i discepoli verso Gerusalemme, il Signore fa un annuncio in tipico stile profetico, usando due immagini: il fuoco e il battesimo.[2] Il fuoco deve portarlo nel mondo; il battesimo dovrà riceverlo Lui stesso. Prendo solo l'immagine del fuoco, che qui è la *fiamma potente* dello Spirito di Dio, è Dio stesso come « fuoco divorante »,[3] Amore appassionato che tutto purifica, rigenera e trasfigura. Questo fuoco – come del resto anche il "battesimo" – si rivela pienamente nel mistero pasquale di Cristo, quando Egli, come colonna ardente, apre la via della vita attraverso il mare tenebroso del peccato e della morte.

C'è però un altro fuoco, quello *di brace*. Lo troviamo in Giovanni, nel racconto della terza e ultima apparizione di Gesù risorto ai discepoli, sul lago di Galilea.[4] Questo fuocherello lo ha acceso Gesù stesso, vicino alla riva, mentre i discepoli erano sulle barche e tiravano su la rete stracolma di pesci. E Simon Pietro arrivò per primo, a nuoto, pieno di gioia.[5] Il fuoco di brace è mite, nascosto, ma dura a lungo e serve per cucinare. E lì, sulla riva del lago, crea un ambiente familiare dove i discepoli gustano stupiti e commossi l'intimità con il loro Signore.

Ci farà bene, cari fratelli e sorelle, in questo giorno, meditare insieme a partire dall'immagine del fuoco, in questa sua duplice forma; e alla sua luce pregare per i Cardinali, in modo particolare per voi, che proprio in questa celebrazione ne ricevete la dignità e il compito.

* Die 27 Augusti 2022.
[1] 12, 49.
[2] Cfr 12, 49-50.
[3] *Dt* 4, 24; *Eb* 12, 29.
[4] Cfr 21, 9-14.
[5] Cfr v. 7.

Con le parole riportate nel Vangelo di Luca, il Signore ci chiama nuovamente a metterci dietro a Lui, a seguirlo sulla via della sua missione. Una missione di fuoco – come quella di Elia –, sia per *quello che* è venuto a fare sia per *come* lo ha fatto. E a noi, che nella Chiesa siamo stati presi tra il popolo per un ministero di speciale servizio, è come se Gesù consegnasse la fiaccola accesa, dicendo: Prendete, «come il Padre ha mandato me, anch'io mando voi».[6] Così il Signore vuole comunicarci il suo *coraggio apostolico*, il suo *zelo per la salvezza* di ogni essere umano, nessuno escluso. Vuole comunicarci la sua *magnanimità*, il suo amore senza limiti, senza riserve, senza condizioni, perché nel suo cuore brucia la misericordia del Padre. È quello che brucia nel cuore di Gesù: la misericordia del Padre. E dentro questo fuoco c'è anche la misteriosa tensione, propria della missione di Cristo, tra la fedeltà al suo popolo, alla terra delle promesse, a coloro che il Padre gli ha dato e, nello stesso tempo, l'apertura a tutti i popoli – quella tensione universale –, all'orizzonte del mondo, alle periferie ancora ignote.

Questo fuoco potente è quello che ha animato l'apostolo Paolo nel suo instancabile servizio al Vangelo, nella sua "corsa" missionaria guidata, spinta sempre in avanti dallo Spirito e dalla Parola. È anche il fuoco di tanti missionari e missionarie che hanno sperimentato la faticosa e dolce gioia di evangelizzare, e la cui vita stessa è diventata vangelo, perché sono stati anzitutto dei testimoni.

Questo, fratelli e sorelle, è il fuoco che Gesù è venuto a "gettare sulla terra", e che lo Spirito Santo accende anche nei cuori, nelle mani e nei piedi di coloro che lo seguono. Il fuoco di Gesù, il fuoco che porta Gesù.

Poi c'è l'altro fuoco, quello di brace. Anche questo il Signore vuole comunicarci, perché come Lui, con *mitezza*, con *fedeltà*, con *vicinanza* e *tenerezza* – questo è lo stile di Dio: vicinanza, compassione e tenerezza – possiamo far gustare a molti la presenza di Gesù vivo in mezzo a noi. Una presenza così evidente, pur nel mistero, che non c'è nemmeno bisogno di chiedere: "Chi sei?", perché il cuore stesso dice che è Lui, è il Signore. Questo fuoco arde in modo particolare nella preghiera di *adorazione*, quando stiamo in silenzio vicino all'Eucaristia e assaporiamo la presenza umile, discreta, nascosta del Signore, come un fuoco di brace, così che questa presenza stessa diventa nutrimento per la nostra vita quotidiana.

[6] *Gv* 20, 21.

In questo senso si capisce – ed è indispensabile – il vostro proposito di mantenervi in ascolto delle comunità cristiane, così che il vostro lavoro non sia mai separato dalle attese e dalle esigenze del popolo di Dio. Questo popolo – di cui noi siamo parte! – ha sempre bisogno di formarsi, di

* Die 1 Septembris 2022.

crescere, eppure in sé stesso possiede quel senso di fede – il *sensus fidei* – che lo aiuta a discernere ciò che viene da Dio e che realmente conduce a Lui,[1] anche in ambito liturgico.

La liturgia è opera di Cristo e della Chiesa, e in quanto tale è un organismo vivente, come una pianta, non può essere trascurata o maltrattata. Non è un monumento di marmo o di bronzo, non è una cosa da museo. La liturgia è viva come una pianta, e va coltivata con cura. E inoltre la liturgia è gioiosa, con la gioia dello Spirito, non di una festa mondana, con la gioia dello Spirito. Per questo non si capisce, per esempio, una liturgia dal tono funebre, non va. È gioiosa sempre, perché canta la lode al Signore.

Per questo motivo, il vostro lavoro di discernimento e di ricerca non può disgiungere la dimensione accademica da quella pastorale e spirituale. «Uno dei contributi principali del Concilio Vaticano II è stato proprio quello di cercare di superare il divorzio tra teologia e pastorale, tra fede e vita».[2] Abbiamo bisogno, oggi più che mai, di una visione alta della liturgia, tale da non ridursi a disquisizioni di dettaglio rubricale: una liturgia non mondana, ma che faccia alzare gli occhi al cielo, per sentire che il mondo e la vita sono abitati dal Mistero di Cristo; e nello stesso tempo una liturgia con "i piedi per terra", *propter homines*, non lontana dalla vita. Non con quella esclusività mondana, no, questa non c'entra. Seria, vicina alla gente. Le due cose insieme: rivolgere lo sguardo al Signore senza girare le spalle al mondo.

Recentemente, nella Lettera *Desiderio desideravi* sulla formazione liturgica, ho sottolineato la necessità di trovare canali adeguati per uno studio della liturgia che oltrepassi l'ambito accademico e raggiunga il popolo di Dio. A partire dal movimento liturgico, molto è stato fatto in tal senso, con contributi preziosi di tanti studiosi e varie istituzioni accademiche. Mi piace ricordare con voi la figura di Romano Guardini, che si è distinto per la sua capacità di diffondere le acquisizioni del movimento liturgico al di fuori dell'ambito accademico, in modo accessibile, alla mano, perché ogni fedele – a partire dai giovani – potesse crescere nella conoscenza viva ed esperienziale del senso teologico e spirituale della liturgia. La sua figura e il suo approccio all'educazione liturgica, tanto moderno quanto classico,

[1] Cfr Esort. ap. *Evangelii gaudium*, 119.
[2] Cost. ap. *Veritatis gaudium*, 2.

sia per voi punto di riferimento, perché il vostro studio unisca intelligenza critica e sapienza spirituale, fondamento biblico e radicamento ecclesiale, apertura all'interdisciplinarietà e attitudine pedagogica.

Il progresso nella comprensione e anche nella celebrazione liturgica dev'essere sempre radicato nella tradizione, che ti porta sempre avanti in quel senso che il Signore vuole. C'è uno spirito che non è quello della vera tradizione: lo spirito mondano dell'"indietrismo", oggi alla moda: pensare che andare alle radici significa andare indietro. No, sono cose diverse. Se tu vai alle radici, le radici ti portano su, sempre. Come l'albero, che cresce da quello che gli viene dalle radici. E la tradizione è proprio andare alle radici, perché è la garanzia del futuro, come diceva Mahler. Invece, l'indietrismo è andare indietro due passi perché è meglio il "sempre si è fatto così". È una tentazione nella vita della Chiesa che ti porta a un restaurazionismo mondano, travestito di liturgia e teologia, ma è mondano. E l'indietrismo sempre è mondanità: per questo l'autore della Lettera agli Ebrei dice: "Noi non siamo gente che va indietro". No, tu vai avanti, secondo la linea che ti dà la tradizione. Andare indietro è andare contro la verità e anche contro lo Spirito. Fare bene questa distinzione. Perché in liturgia ci sono tanti che si dicono "secondo la tradizione", ma non è così: al massimo saranno tradizionalisti. Un altro diceva che la tradizione è la fede viva dei morti, il tradizionalismo è la fede morta di alcuni vivi. Uccidono quel contatto con le radici andando indietro. State attenti: oggi la tentazione è l'indietrismo travestito di tradizione.

E, infine, la cosa forse più importante: che il vostro studio della liturgia sia impregnato di preghiera e di esperienza viva della Chiesa che celebra, così che liturgia "pensata" sgorghi sempre, come da una linfa vitale, dalla liturgia vissuta. La teologia si fa con la mente aperta e nello stesso tempo "in ginocchio".[3] Questo vale per tutte le discipline teologiche, ma tanto più per la vostra, che ha per oggetto l'atto di celebrare la bellezza e la grandezza del mistero di Dio che si dona a noi.

Con questo augurio, benedico di cuore tutti voi e il vostro cammino. E vi chiedo per favore di pregare per me. Grazie.

[3] Cfr *Veritatis gaudium*, 3.

NUNTIUS

Episcopis, Presbyteris ac Diaconis, personis consecratis fidelibusque laicis
QUINQUAGESIMO INTERVENIENTE ANNIVERSARIO
Litterarum Apostolicarum Motu Proprio datarum
MINISTERIA QUAEDAM
Sancti Pauli VI

1. Quinquagesimo interveniente anniversario Litterarum apostolicarum Motu Proprio datarum sancti Pauli VI *Ministeria quaedam* [*AAS* 64 (1972) 529-534] nobis datur copia de argumento cogitandi ministeriorum. In feraci contextu qui contentionibus haud caret, quae post Concilium Oecumenicum Vaticanum II obvenerunt, documentum hoc Ecclesiae insignem cogitationem obtulit ex qua non modo ad disciplinam renovandam perventum est, ad primam tonsuram, ordines minores et subdiaconatum Ecclesiae Latinae pertinentem – ut in titulo dictum est – verum etiam Ecclesiae magni ponderis prospectum obtulit, ulteriores progressus delaturum.

2. Illius electionis causarumque sub lumine, quae eam sustinuerunt, duae sunt addendae Litterae apostolicae Motu Proprio nuper datae quibus de argumento ministeriorum institutorum egimus. Primae, *Spiritus Domini*, diei X mensis Ianuarii anno MMXXI, can. 230 § 1 Codicis Iuris Canonici mutaverunt, cum ageretur de potestate personarum feminini sexus ad instituta ministeria lectoris et acolythi accedendi. Alterae, *Antiquum ministerium*, diei X mensis Maii anno MMXXI, catechistae ministerium instituerunt. Quae duae haberi haud debent, quae praeteritam doctrinam superaverint, sed ulteriorem progressum admiserint, quod quidem fieri potest, utpote cum iisdem principiis nitatur – congruentibus cum sententiis Concilii Oecumenici Vaticani II – ex quibus *Ministeria quaedam* manavere. Hodiernum insigne anniversarium percommode celebratur, cum funditus sensum vestigare pergimus ministeriorum, quem sanctus Paulus VI incohavit.

3. Argumentum erga Ecclesiae vitam praecipuum pondus assumit: etenim, nulla datur christiana communitas quae ministeria non ostendat. Paulinae epistulae, nec eae quidem tantum, plane id testantur. Cum – ut ex pluribus exemplum quoddam supponamus – Paulus apostolus ad Ecclesiam, quae est Corinthi, se convertit, effigies, quam eius verba fingunt, exstat

cuiusdam communitatis charismatum locupletis (*1 Cor* 12, 4), ministeriorum (*1 Cor* 12, 5), actorum (*1 Cor* 12, 6), manifestationum (*1 Cor* 12, 7) ac Spiritus Sancti donorum (*1 Cor* 14, 1.12.37). Verborum usurpatorum varietas diffusam rem ministerialem describit, quae se componere nititur duobus ex certis fundamentis: omnibus in ministeriis orientibus semper adest Deus, qui suo cum Spiritu Sancto omnia operatur in omnibus (cfr *1 Cor* 12, 4-6); cunctorum ministeriorum finis semper est bonum commune (cfr *1 Cor* 12, 7), communitas aedificanda (cfr *1 Cor* 14, 12). Unumquodque ministerium Dei est vocatio ad communitatis bonum.

4. Duo haec fundamenta efficiunt ut christiana communitas ministeriorum varietatem componat quae Spiritus edit, quod ad condicionem, quam ipsa re experitur, attinet. Talis compositio non est functionale dumtaxat quiddam, sed est potius attenta communitaria discretio, in audiendo quod Ecclesiae innuit Spiritus, certo loco ac praesenti eius vitae tempore. Huius discretionis clara reperiuntur exempla in Actibus Apostolorum, de structuris utique ministerialibus, scilicet cum Duodecim coetus Iudam sufficere (*Act* 1, 15-26) et Septem communitariam contentionem solvere quae exstitit (*Act* 6, 1-6) debent. Ministerialis quaeque structura, quae ex hac discretione oritur, est dynamica, vivax, flexibilis, sicut Spiritus actio: in ea altius usque radicari debet, ad periculum vitandum ne dynamica vis confusio fiat, vivacitas in subitariam actionem extemporalem recidat, flexibilitas in arbitrariam ideologicamque accommodationem commutetur.

5. Sanctus Paulus VI conciliarem doctrinam adhibens, per *Ministeria quaedam* veram discretionem effecit ipseque cursum demonstravit ad iter prosequendum. Etenim, haud paucorum conciliarium Patrum postulata recipiens, vigentem praxim recognovit, eandem necessitatibus accommodans illius temporis, atque Conferentiis Episcoporum facultatem admisit a Sede Apostolica petendi illorum ministeriorum institutionem, quae necessaria habebantur vel in ipsorum regionibus perutilia. Precatio quoque ordinandi Episcopi, in intercessionum parte, inter eius praecipua officia munus recenset ministeriorum componendorum: «... ut distribuat munera secundum præceptum tuum ...» (*Pontificale Romanum*, *De Ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum,* Editio typica altera, n. 47, p. 25).

6. Supra memorata principia, bene in Evangelio fundata atque in ampliorem contextum ecclesiologiae Concilii Oecumenici Vaticani II inserta,

commune sunt fundamentum quod sinit ut, ex incitamentis auscultatae certitudinis vitae communitatum ecclesialium, percipiatur quae sint ministeria, quae hic et nunc Ecclesiam aedificant. Communionis ecclesiologia, Ecclesiae sacramentalitas, sacerdotii communis sacerdotiique ministerialis mutuum complementum, liturgica visibilitas cuiusque ministerii principia sunt doctrinae, quae Spiritu animata, congruam reddant ministeriorum varietatem.

7. Si quidem Ecclesia corpus est Christi, totum illud *ministrare* Verbi incarnati eius membra pervadere debet, quorum quidque – propter eius unicitatem quae ad personam secum fert Dei vocationem – Christi servi vultus faciem quandam ostendit: eorum agendi congruentia mundo pulchritudinem demonstrat eius qui « non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc* 10, 45). Ordinationis diaconorum oratio claram praebet sententiam ad varietatem in unitate describendam: « Cuius corpus, Ecclesiam tuam, cælestium gratiarum varietate distinctam suorumque conexam distinctione membrorum, compage mirabili per Spiritum Sanctum unitam ... » (*Pontificale Romanum, De Ordinatione Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum*, Editio typica altera, n. 207, p. 121).

8. De baptismalibus ministeriis quaestio diversas facies contigit, procul dubio considerandas: quae sunt vocabula adhibita ad ministeria indicanda, eorum doctrinae fundamentum, iuridici dispectus, distinctiones necessitudinesque inter singula ministeria, eorum vocationis vis, educationis curricula, institutionis eventus ministerii exercitium inducens, liturgica ratio cuiusque ministerii. Ex hoc quoque tantum compendioso indice, argumenti complexio percipitur: utique producatur oportet multa cogitatio de horum omnium argumentorum intima parte: attamen si ea definire deberemus eaque solvere ad ministerialem rem porro experiendam, perprobabiliter multum procedere non valeremus. Sicut memoravimus in *Evangelii gaudium* (nn. 231-233) realitas cogitationem praetergreditur atque « inter eas continuatus est instituendus dialogus, cum vitetur quominus cogitatio a realitate abducatur » (n. 231).

Alterum quoque principium quod, quamvis alias, in *Evangelii gaudium* (n. 222) memoravimus nobis subsidio esse potest: *tempus spatio est superius*. Potius quam subitorum effectuum anxietas in cunctis contentionibus solvendis et omnibus partibus collustrandis, e periculo sic concludendorum

processuum atque nonnumquam sistendorum (cfr *Evangelii gaudium* n. 223), Spiritus Domini actio est sequenda, resuscitati et ad caelum ascensi, qui «dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad instructionem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi» (*Eph* 4, 11-13).

9. Spiritus est qui, e distinctione complementoque participes nos reddens Christi sacerdotii, omnem humanitatem facit ministerialem, ad eius corpus ecclesiale aedificandum. In spatiis nempe operatur Spiritus, quae obsequens noster auditus parat ut ipsa eius actioni pateant. *Ministeria quaedam* ianuam reseravit ad renovationem ministerialis rei experiendae fidelium, ex baptismi aqua renatorum, Spiritus signaculo confirmatorum, Pane vivo de caelo descenso saturatorum.

10. Ad Spiritus vocem audiendam ac processum continuandum – cum caveatur ne vis ei afferatur, quaedam eligendo ex ideologicis opinationibus – mutuam operam utilem esse arbitramur, eo magis ex itineris synodalis, experientiarum horum annorum animo. Quaedam magni ponderis ipsae afferre possunt, ut ad consentaneam opinionem baptismalium ministeriorum perveniatur et item sic nostrum iter producatur. Hac de causa proximis mensibus, ex definiendis rationibus optamus ut dialogus de hoc argumento instituatur cum Conferentiis Episcoporum ad divitias participandas experientiarum ministerialium, quas his quinquaginta annis Ecclesia est experta, sive ut ministeria instituta (lectores, acolythos et, nuper tantum, catechistas) sive ut ministeria extraordinaria et reapse.

11. Mariae Virgini, Ecclesiae Matri, iter nostrum committimus. Suo in gremio Verbum carnem factum custodiens, Maria Filii ministerium secum fert, quod participat sua ipsius ratione. In hoc quoque consummata est Ecclesiae imago, quae in ministeriorum varietate, Iesu Christi custodit ministerium, eius sacerdotium communicans quodque membrum sua propria ratione.

Datum Romae, Laterani, die XV *mensis Augusti anno* MMXXII, *in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Pontificatus Nostri decimo.*

FRANCISCUS

SECRETARIA STATUS

RESCRIPTUM «EX AUDIENTIA SS.MI»

INSTRUCTIO

de administratione et gestione negotii pecuniarii et praesentis pecuniae Sanctae Sedis et Institutorum Sanctae Sedi adhaerentium.

1. Il Santo Padre Francesco, nell'udienza concessa a me sottoscritto, il giorno 22 agosto, ha stabilito di emanare la presente Istruzione sull'amministrazione e gestione delle attività finanziarie e della liquidità della Santa Sede e delle Istituzioni collegate con essa.

2. Il Santo Padre ha disposto che essa abbia natura di interpretazione autentica delle disposizioni vigenti e abbia fermo e stabile vigore, nonostante qualsiasi cosa contraria anche se precedente al Rescritto o specificamente riferita a speciali cose.

3. L'articolo 219, paragrafo 3, della Costituzione Apostolica *Praedicate Evangelium* deve interpretarsi nel senso che l'attività di gestore patrimoniale e di depositario del patrimonio mobiliare della Santa Sede e delle Istituzioni collegate con la Santa Sede compete in via esclusiva all'Istituto per le Opere di Religione.

4. La Santa Sede e le Istituzioni collegate con la Santa Sede che siano titolari di attività finanziarie e liquidità, in qualunque forma esse siano detenute, presso Istituzioni finanziarie diverse dallo IOR devono informare lo IOR e trasferirle presso di esso appena possibile entro 30 giorni dal 1° settembre 2022.

5. Essa entra in vigore immediatamente tramite pubblicazione sull'*Osservatore Romano*. Eventuali atti adottati in precedenza in difformità devono essere resi conformi rispetto alle presenti istruzioni.

Dal Vaticano, 22 agosto 2022

Pietro Card. Parolin
Segretario di Stato

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

VRATISLAVIENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servarum Dei Paschalinae Jahn (in saeculo: Mariae Magdalenae) et IX Sociarum, Religiosarum professarum Congregationis Sororum a Sancta Elisabeth († 1945)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Totum per saeculum vicesimum fuerunt, qui interfici mallent, potius quam missionem suam violare. Religiosi religiosaeque suam vero servaverunt consecrationem usque ad effusionem sanguinis » (Sanctus Ioannes Paulus II, die 7 mensis Maii anno 2000).

Magno Iubilaeo a. D. 2000, sanctus Summus Pontifex, fidei martyrum saeculi XX memoriam faciens, suae dilectae Poloniae peculiari modo recordatus est et violentiarum simul, quas populus eius ob ideologiam Nazismi et Communismi est passus.

Inter mensem Februarium et mensem Maium anno 1945, secundo totius mundi bello exacto, Exercitus Ruber irrupit in Polonam regionem, quam flumen Viadrus et flumen v.d. *Nysa Kłodzka* continent, tunc Germaniae. Odium fidei, quod milites, placitis Marxianis imbuti, colebant, infandam vim erga religiosos et christifideles catholicos concitavit. Sorores Sanctae Elisabeth, illo tempore immo Sorores Ravae nuncupatae, in loco pro egenis, aegrotis et senibus in primis, operabantur. Quarum aliquae iuvenes, aliae erant seniores. Aliquarum virginale corpus est violatum, aliae minis laboraverunt. Decem religiosae professae, eodem anno 1945, martyrium acceperunt.

Hae quidem sunt:

1. Maria Paschalina Jahn (in saeculo: Maria Magdalena). Die 7 mensis Aprilis anno 1916 in loco v.d. *Górna Wieś* nata, prima professionem anno 1939 emisit. Ministerium aegrotorum navavit, pueros ac senes praecipue adiuvans. Anno 1942 translata est in urbe v.d. *Nysa*. Cum Exercitus Ruber oppidum invaderet, Antistitae tantum oboediens in Cechiam profugit, ubi quodam a Russico milite die 11 mensis Maii occisa est manuballistae ictu.

2. Maria Edelburgis Kubitzki (in saeculo: Iuliana). Die 9 mensis Februarii anno 1905 in loco v.d. *Dąbrówka Dolna* orta, vota anno 1936 professa est perpetua. Crudeliter capta, in oppido v.d. Żary a quodam Exercitus Rubri milite trucidata est die 20 mensis Februarii.

3. Maria Rosaria Schilling (in saeculo: Elfrieda). Die 5 mensis Maii anno 1908 Vratislaviae nata, professionem perpetuam anno 1935 emisit. In urbe v.d. *Nowogrodziec*, cum Exercitu Rubro progrediente incolae fugivissent, Serva Dei se cum aegrotis senibusque ad fugiendum inabiles manere statuit. Nonnullorum militum stupro atrociter passa est atque die 23 mensis Februarii interfecta.

4. Maria Adelaidis Schramm (in saeculo: Clara). Die 3 mensis Iunii anno 1885 in loco v.d. Łączna orta, vota anno 1924 professa est perpetua. Die 25 mensis Februarii necata est in civitate v.d. *Godzieszów*, una cum senioribus hominibus, ad quos curandos permansit.

5. Maria Sabina Thienel (in saeculo: Anna Hedvigis). Die 24 mensis Septembris anno 1909 in loco v.d. *Rudziczka* nata, professionem perpetuam anno 1940 emisit. In urbe v.d. *Lubań* occisa est die 1 mensis Martii, cum integritatem suam defenderet.

6. Maria Sapientia Heymann (in saeculo: Lucia Emmanuela). Die 19 mensis Aprilis anno 1875 in loco v.d. *Lubiesz* orta, vota anno 1906 professa est perpetua. Trucidata est die 24 mensis Martii in urbe v.d. *Nysa*, cum quandam iuvenem sororem a stupro arceret.

7. Maria Adelaidis Töpfer (in saeculo: Hedvigis Agnes). Die 26 mensis Augusti anno 1887 nata in urbe v.d. *Nysa*, professionem perpetuam anno 1919 emisit. Quodam a Russico milite interfecta est eadem in urbe, in conspectu aegrotorum, quorum curam agebat.

8. Maria Melusia Rybka (in saeculo: Martha). Die 11 mensis Iulii anno 1905 in loco v.d. *Pawłow* orta, vota anno 1934 professa est perpetua. In urbe

v.d. *Nysa* necata est die 24 mensis Martii, cum quendam militem ei cuidamque Sorori vim afferre conantem repelleret.

9. Maria Felicitas Ellmerer (in saeculo: Anna). Die 12 mensis Maii anno 1889 in loco v.d. *Grafing bei* München nata, professionem perpetuam anno 1923 emisit. Cum Antistitam atque se contra vim Sovieticorum militum defenderet, in urbe v.d. *Nysa* occisa est die 25 mensis Martii.

10. Maria Acutina Goldberg (in saeculo: Helena). Die 6 mensis Iulii anno 1882 in loco v.d. *Dłużek* orta, vota anno 1917 professa est perpetua. In loco v.d. *Lubiąż*, prope pagum v.d. *Krzydlina Wielka*, die 2 mensis Maii trucidata est, cum puellas contra carnalem militum iniuriam defendere conaretur.

Sovieticorum militum mos, fidei repugnans, profanationis actis quoque ostendebatur. Stuprum factum est contumeliae telum, praesertim erga eas religiosa veste indutas.

Servae Dei, per vitam consecrationis electam, parvulorum indefensiorumque vitae missionem sumpserant praestandae, custodiendae atque alendae. Quod Christum indiviso corde amabant, illa earum ministrandi erat ratio. Haec caritas se maxime patefecit per oblationem vitae, quae ipsarum propheticam principatus Dei testificationem confirmavit. Nam se periclitari consciae, in ipso apostolatus sui loco permanere censuerunt. Quarum nex certa martyrii fama est protenus circumdata earumque sepulcrum hodie quoque multos precaturos attrahit.

Hanc propter famam, a die 25 mensis Novembris anno 2011 ad diem 26 mensis Septembris anno 2015 apud Curiam ecclesiasticam Vratislaviensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius validitas iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 4 mensis Decembris anno 2015 est approbata. Positio ergo confecta est atque die 4 mensis Iunii anno 2019 Consultorum Historicorum iudicio subiecta. Tum, consuestas secundum normas, disceptatum est an Servarum Dei verum fuisset martyrium. Die 24 mensis Novembris anno 2020 Consultores Theologi votum adfirmativum protulerunt. Die 1 mensis Iunii anno 2021 Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione congregati, Servas Dei professi sunt ob earum fidem in Christum et in Ecclesiam esse interfectas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio*

eiusque causa Servarum Dei Paschalinae Jahn (in saeculo: Mariae Magdalenae) et IX Sociarum, Religiosarum professarum Congregationis Sororum a Sancta Elisabeth, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

MUTINENSIS - NONANTULANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Severini Fabriani, Sacerdotis dioecesani Fundatoris Instituti Filiarum a Providentia pro surdis et mutis (1792-1849)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Bene omnia fecit, et surdos facit audire et mutos loqui!» (*Mc* 7, 37).

Dominus Iesus, medicus et animarum et corporum, surdos mutosque sanavit, ut lingua eorum ad laudem Patris solveretur. Servus Dei Severinus Fabriani vitam ministeriumque suum ad surdorum mutorumque institutionem et curam consummavit, ut a solitudine, ad quam cogebantur, abducerentur, iisque in Ecclesia et societate locum praebens.

Servus Dei ortus est Spilamberti, intra Mutinensem dioecesim, die 7 mensis Ianuarii anno 1792 eodemque die Baptisma suscepit. Patre matreque orbatus, duorum patruorum Petri et Iosephi curis est demandatus. Iosephus theologiam docebat atque Archipresbyteri Cathedralis munere functus est ac deinde Vicarii Generalis. Servus Dei seminarium Mutinense ingressus est, ubi virtutum dilectionem et studium in litteris ostendit. Die 17 mensis Decembris anno 1814 presbyter ordinatus est, cum iam ei erant commissae physica et naturales scientiae philosophici curriculi docendae. Itaque in seminario fuit magister usque ad annum 1821, cum quadam aphasia ex toto est adfectus. Diuturnis post curis, ex aliqua parte tantum est tamen recreatus, adeo ut non ultra docere, praedicare et Missam celebrare valeret. Assidua precatione fidem alebat, frequentius Eucharistiam sumens peculiaremque devotionem in Passionem Domini, Mariam Sanctissimam et sanctum Aloisium colens. Cum communicare scriptis tantum posset, libros et articulos edidit plurimos atque epistularum cum viris temporis sui illustribus habuit commercium.

Fide sustentus, imminutionem suam ut invitationem ad animam mundandam et ad se colligendum erga christianae spei res accepit. Ipsa autem novum apostolatus genus praebuit, quo suas intellectus dotes et caritatem pastoralem patefacere potuit.

Anno 1823 cuiusdam surdae mutaeque puellae institutio ei est commissa, in Mutinenses “Scholas caritatis ad pauperes” receptae, apud ecclesiam Sanctae Mariae Angelorum, “Paradisi” nuncupatam. Cum sequenti anno aliae

parvulae surdae et mutae intravissent, Servus Dei novae cuiusdam “Scholae ad surdas mutasque”, tribus sororibus magistris adiuvantibus, regimen suscepit. Servus Dei penitus hoc officium navavit atque, ad congruentem scientiam peritiamque comparandam, clara instituta pro surdis et mutis visitavit atque excellentium Europaearum scholarum artem educandi excussit. Diligentia et caritate omnia perfecit, quod a coadiutricibus sororibus quoque petivit. Anno 1826, cum Filiae a Iesu, quae in “Scholis caritatis” operabantur, inter se scinderentur, cum Servo Dei puellae surdae et mutae necnon tres sorores magistrae permanserunt. Itaque Dux Mutinensis, qui scholam gerebat, novum institutum condidit. Sorores vulgo vocatae sunt *Figlie della Provvidenza per le sordomute*.

Servus Dei, vir mansuetus atque prudens, necnon filius sincerus Matris Ecclesiae, Congregationem rite agnosci autem cupiebat. Quae anno 1843 legitimum habere potuit initium. Servus Dei “Rationes fundamentales” ipsius Congregationis conscripsit, quas Dux et Episcopus Mutinensis approbaverunt. Tribus votis religiosis, votum sordorum mutorumque instituendorum sorores adiungebant. Summus Pontifex Gregorius XVI die 9 mensis Ianuarii anno 1845 suam ipsam approbationem concessit.

Etsi infirma valetudine laboraret, Servus Dei pro schola institutoque se maxime impendebat. Novum loquendi modum etiam invenit, summa cum puellarum utilitate. Quarum aliquae idem institutum v.d. *Figlie della Provvidenza* sunt ingressae.

Servus Dei die 27 mensis Augusti anno 1849 obiit. Corpus eius, primum in subterraneo instituti sepultum, anno 1937 translatum est in sacrarium. Congregatio, hodie non in Italia tantum sed et in Asia, Africa et America Latina pervulgata, Servi Dei charisma nec-non institutionis et socialis progressionis promovendae opus pergit.

Cum Servi Dei sanctitatis fama perduraret et increbresceret, agi coepta est Causa beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Mutinensem - Nonantulanam, a die 4 mensis Octobris anno 2008 ad diem 24 mensis Octobris anno 2009 Inquisitio dioecesana habita est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est agnita per decretum diei 9 mensis Decembris anno 2010. Positione exarata ac Consultorum Historicorum iudicio die 17 mensis Ianuarii anno 2017 subiecta, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei virtutes christianas heroico gradu exercuisset. Die 26 mensis Novembris anno 2019 Peculiaris Consul-

torum Theologorum Congressus faustum exitum habuit. Patres Cardinales et Episcopi, diei 15 mensis Iunii anno 2021 Ordinaria in Sessione, Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes professi sunt heroicum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Severini Fabriani, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Instituti Filiarum a Providentia pro surdis et mutis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

BONONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ursulae Donati, Religiosae professae Congregationis Sororum Minimarum a Maria Perdolente (1849-1935)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Si ego lavi vestros pedes, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes» (*Io* 13, 14).

Ad vitae propositum perficiendum munusque suum virtuose inter Sorores Minimas a Maria Perdolente peragendo, Serva Dei Ursula Donati vitam Iesu continenter meditata est atque devotionem in Cor eius tam coluit ut humilitatem et mansuetudinem eius imitaretur.

Serva Dei in lucem edita est die 22 mensis Octobris anno 1849 in vico v.d. *Paltrone*, qui ad Sanctam Mariam in Via pertinet, inter municipia Castri Sancti Ioannis in Persiceto et Unciolae in Aemilia. Eodem die sancto fonte est lustrata. Cum sex aetatis annos complevisset, patre orbata est, qui cholera obiit morbo. Inde tres annos tantum ludos litterarios frequentare potuit, dein adiumentum familiae praestare debuit textrino et operibus aliis. Natura erat recondita, miti atque humana, ad cogitationem et precationem propensa. Mater eam, una cum sorore, certiorem religiosam institutionem aptioremque eruditionem accipere cupiebat. Itaque Serva Dei, die dominico postmeridiano, ad propinquam paroeciam Sanctae Mariae v.d. *delle Budrie* ventitare incepit, parochi loci ad praeceptiones audiendas. Hic sanctam Cloeliam Barbieri cognovit, cuius in intimam spiritualem pervenit amicitiam. Mox duobus ab aliis puellis assecutae, anno 1868 ipsae vitam communem inchoare potuerunt, in orationem congregatae bonumque agere cupidae, in domo vulgo *Ritiro della Provvidenza* appellata.

Die 13 mensis Iulii anno 1870 sancta Cloelia Barbieri, moriens, opus producendum Servae Dei commisit. Quae ergo quinque et sexaginta per annos Sanctae vulgo *delle Budrie* nuncupatae propositum sapienter provexit. Haec religiosa familia, quae ab anno 1878 Minimarum a Maria Perdolente nomen sumpsit, ab Archiepiscopo Bononiensi insequenti anno est agnita. Novas domos aperuit et novos apostolatus campos instituit. Serva Dei, prudentia et humilitate, increbrescens institutum curavit, Sororibus formandis se tradens et Constitutionibus scribendis. Anno 1897, aliis cum Sororibus,

propalam vota professa est vestemque religiosam induit atque die 10 mensis Novembris anno 1929 vota perpetua emisit.

Anno 1931 primum Generale Capitulum indixit, quod eam ipsam Generalem Antistitam usque ad mortem confirmavit. Cum anno 1934 Constitutiones eius semel approbarentur, Congregatio unam et viginti domos ac septem et centum quadraginta religiosas, quarum quinquaginta temporalium votorum, computabat. Plurimis in locis Bononiensis et Mutinensis archidioecesium feminarum scholas gerebat atque perutile institutionis catechesisque praebebat opus.

Serva Dei ideo ad Sorores moderandas, opera ordinanda, res difficiliores tolerandas necnon cum auctoritatibus ecclesiasticis vel civilibus sociata opera conferenda, vitam totam impendit. Fides eius in ratione fulget, quae semper impulit eam, videlicet – sicut scribebat – "ut omnes centrum petamus, quod est Deus". In Congregatione regenda, sui ipsius oblationi, precationi, altae humilitati ardentique caritati omnino fidelis permansit. Sanctae Cloeliae amicitia et intercessione semper confisa est, cuius anno 1968 beatificatio et anno 1989 canonizatio sunt celebratae. Etsi omnia sub lumine sanctae Fundatricis vixisset, vero peculiaris ei fuit habitus munusque unum et exquisitum pro ipso Instituto orienti. Non tantum naturalem propter dotem, quam opus rusticum infantiae roboravit, sed maxime sua immensa fide in Dei Providentiae auxilium, spe incommoda omnia toleranti ac sincera perhumili oboedientia, multo onus pro viribus suis maius sumpsit. Bene sciebat omnem consecratam mulierem ad perfectionem intendere debere, quae cum Deo est coniunctio per orationem interioremque vitam, silentium Regulaeque observantiam. Providenti contuitu erga sui temporis societatis egenos, caritate quidem pleno, eminuit, pro quibus suas operandi virtutes fructiferas egit. Pauperes erudivit et caritatis quendam apostolatum in aegrotos perfecit.

In Matre Domo v.d. *delle Budrie*, spiritualibus suis filiis circumdata, Serva Dei die 8 mensis Aprilis anno 1935 pie in Domino obdormivit. Quam in vita iam exercitarum virtutum exemplum est indicata, tam post obitum idem usque increbruit.

Cum memoria eius vera sanctitatis facta esset fama, censum est Servae Dei Causam beatificationis et canonizationis institui. Inquisitio dioecesana, apud Curiam ecclesiasticam Bononiensem, die 19 mensis Februarii anno 2000 incepta est ac die 6 mensis Aprilis anno 2003 ad finem pervenit. Cuius decretum

de validitate iuridica haec Congregatio de Causis Sanctorum die 20 mensis Ianuarii anno 2006 emisit. Positio confecta, die 17 mensis Novembris anno 2009 Consultorum Historicorum subiecta est iudicio. Inde, consuetas secundum normas, disceptatum est an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu excoluisset. Die 10 mensis Martii anno 2020 Consultores Theologi adfirmative sunt locuti. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in diei 1 mensis Iunii anno 2021 Sessione, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Ursulae Donati, Religiosae professae Congregationis Sororum Minimarum a Maria Perdolente, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

CZESTOCHOVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Angelae Rosae Godecka, Fundatricis Congregationis Parvarum Sororum ab Immaculato Corde Mariae (1861-1937)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O humilis sublimitas, quod Dominus universi, Deus et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! » (Sanctus Franciscus Assisiensis).

Serva Dei Angela Rosa Godecka ferventem caritatem in Deum et in Eucharistiam excoluit, ex qua suam spiritualitatem trahebat et qua ipsa ad vitam consecrandam est impulsa. Ex consilio spiritualis moderatoris, beati Honorati a Biala (in saeculo: Venceslai Koźmiński), sui temporis pauperibus ac proletariis novitatem Evangelii perstudiose nuntiavit. Imperium enim Russicum, in quo vixit, saeculo exeunte XIX et ineunte XX, denotatum est magna societatis mutatione, quae quidem ex industriae conversione, ex operariorum ordinis ortu atque vulgatis socialismi inducta est doctrinis.

Serva Dei, iuxta Calendarium Iulianum tunc illic vigens, die 13 mensis Septembris anno 1861 nata est in pago v.d. *Korczewa*. Familia eius catholica nobilisque generis erat. Moscuae, apud institutum v.d. *Nikołajewski*, quod imperator patrocinabatur, studia complevit atque magistrae anno 1881 adepta est diploma.

In provinciam Minsci se contulit ac privatim docebat. Paucis annis post ad Vilnam mota, inter frequentis Polonae communitatis familias docebat. Socialistarum ac rerum novarum molitorum aliquos coetus convenit, ita ut religionis turbamento laboraret. Res tamen non est multum provecta: quodam tempore vitam funditus mutare statuit, Missae intererat et cotidie Communionem suscipiebat, fidem spiritualibus libris alens ac paenitentiam, Domino tantum ministrandi cupida, severe agens.

Anno 1887, sicuti postulans, institutum Filiarum a Corde Purissimo Mariae ingressa est et novitiatum incepit. Cum spiritualia anni 1888 exercitia haberentur, beatus Honoratus a Biala, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ei proposuit ut novam familiam religiosam institueret, quae fabricarum iuvandis operariis se traderet. Quoddam post interius certamen, illam totam mutationem vitae accepit. Licet docere pergeret, operariis usque adesse

inchoavit. Congregatio Parvarum Sororum ab Immaculato Corde Mariae, quarum Serva Dei, nomine Mariae Franciscae ab Immaculata Conceptione sumpto, prima novitia et Generalis Antistita fuit, die 4 mensis Octobris anno 1888 in loci v.d. *Zakroczym* patrum Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum ecclesia initium habuit. Primae candidatae ad Servam Dei Varsaviae se congregaverunt. Nullum religiosarum signum gerebant ipsoque opere suo sustentari debebant. Omni vespere Sabbati conveniebant, ut una simul orarent institutionisque praecepta reciperent. Die 4 mensis Octobris anno 1889 Serva Dei professionem religiosam nuncupavit.

Generalis Antistita ab anno 1888 ad annum 1921, necnon ab anno 1931 ad annum 1937, Congregationem tribus coetibus, diversis cum operibus, composuit: sorores, affiliatae et aggregatae. Tam cum affiliatae, Sancta imperante Sede, abolitae essent, quam cum beatus Honoratus a Biala obivisset, difficiliora tempora Serva Dei tulit, quibus solitudinem est penitus experta. Iisdem autem firma spe, humilitate, prudentia ac temperantia occurrit. Anno 1929 Congregatio Sedis Apostolicae laudis adepta est decretum. Munere Antistitae Generalis exacto, Serva Dei Generalis Vicaria permansit.

Maius gloriae Dei incrementum, animarum bonum ac sanctificatio sui ipsius Servae Dei vitae, spiritualitatis et operis apostolici principatum semper detinuerunt. Bonum ex omnibus condicionibus, difficillimis quoque, trahere quaerens, nixa est voluntatem Dei, Virginem Mariam imitando, continenter perficere. Eius orandi modus haud communis erat, necnon hominum oculos ad se convertebat. Caritatem in omnes exercebat, in primis cunctas in eius Sorores. Modestia, iustitia, sapientia, perseverantia caritatem eius in proximum describebant.

Post labores multos studiosumque apostolatum fabricarum inter operarias peractum, Czestochovae die 13 mensis Octobris anno 1937 obiit.

Servae Dei sanctitatis fama perdurante, eius Causa beatificationis et canonizationis est illata. Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Czestochoviensem celebrata est a die 19 mensis Septembris anno 1994 ad diem 18 mensis Octobris anno 1997 atque haec Congregatio de Causis Sanctorum eius iuridicam validitatem diei 12 mensis Martii anno 1999 per decretum agnovit. Positio confecta est ac iudicio Consultorum Historicorum die 30 mensis Maii anno 2017 subiecta. Inde disceptatum est, consuetas secundum normas, an Serva Dei christianas virtutes heroico in gradu excoluisset. Consultores Theologi die 7 mensis Maii anno 2020 votum adfir-

mativum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, diei 15 mensis Iunii anno 2021 Ordinaria in Sessione, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Angelae Rosae Godecka, Fundatricis Congregationis Parvarum Sororum ab Immaculato Corde Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

GRANATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Stellae a Iesu Iglesias Fidalgo (in saeculo: Mariae Aureliae), Sororis professae Religiosarum a Maria Immaculata (1899-1982)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40).

Licet Servam Dei Mariam Stellam a Iesu Iglesias Fidalgo (in saeculo: Mariam Aureliam) horum Evangelii Iesu verborum, quae eius vivendi agendique modum informaverunt, resultantem sonum continenter audivisse dicere. Simplicitas, qua Christum in hominibus, quibus ocurrit, videre valuit, atque humilitas, mansuetudo et gaudium, quibus in primis parvulis et egenioribus ministravit, in iis, qui cognoverunt eam, reverentiam ac vivam sanctitatis famam excitavere.

Serva dei in loco v.d. *Barradiello de La Riera de Colunga* in Asturiis die 12 mensis Aprilis anno 1899 ortum duxit. Insequenti die sacro fonte est lustrata. Septima ex duodecim filiis, perpauperi in familia iucunde crevit, seniores auxilio laboris pro suis viribus adiuvabat et maxime curabat iuniores. Cum pater anno 1913 obiret, paupertas nimirum increbuit, quare filii coacti sunt in Argentinam demigrare. Serva Dei Ovetum petivit, ad opus gerulae quadam in familia faciendum. Ibi Religiosarum a Maria Immaculata, quas sancta Vincentia Maria López y Vicuña fundavit ad iuvenes operarias recipiendas ac educandas, domum frequentavit. Quo loco Serva Dei suam vocationem ad maturitatem perduxit, eandem Congregationem ingressa est atque anno 1925 religiosam professionem emisit. Primum Cordubam missa est, deinde ab anno 1935 usque ad finem, tribus annis, quibus in Almeria degit, exceptis, Granatae vixit.

Bellum civile plurimos effecit orphanos, adeo ut Institutum multas puellas recipere ac adiuvare deberet. Quibus Serva Dei sedulitate et hilaritate multum operis contulit. Sacristae et ductricis fullonicae munere praeterea functa est atque ex officio plurimos per annos obsonatum in oppidum ibat, stipem emendicabat et alumnas ad medicum deducebat. Huius ipsius officii

causa, quo domo exibat, tam puellas olim alumnas earumque familias visitare et adiuvare, quam egenos per viam cognoscere ac iuvare poterat. Omnes hanc Sororem, parvulam statura, noverunt, quae per vias, valetudinaria, sedes, tabernas, domos Granatae lustrabat ad solacium multis hominibus afferendum, qui, solitudine ac indigentia laborantes, fiduciam in ea, in eius precatione ac benignitate, plena spe, humilitate ac fiducia, reponebant.

Serva Dei, verax religiosa qualis erat, aures cotidie et semper erigebat ut quod Dominus vellet intellegeret. Diuturnae precationis vel eucharisticae pietatis horae, necnon continua Rosarii oratio, imaginem illius praestiterunt, qui a Deo animum numquam ad aliis ministrandum avertit nec alios neglegit ad dialogum cum Domino excolendum.

Vero matris corde caritatem exercebat, benigne omnes audiens et se omnibus offerens. Quod vero Sorores atque puellae clare percipiebant. Obtrectationis vel quaerimoniae verba numquam dixit, sed semper indulgentiae, dilectionis et veniae. Serenitas vultus et laetitia, contagione vulgata, eius virtutis vitam describebant et ad Deum sponsum et magistrum consecrationem.

Granatae, ubi diu operata erat, die 24 mensis Novembris anno 1982 placide in Domino obdormivit.

Propter eius sanctitatis famam, Servae Dei Causa beatificationis et canonizationis est instructa. A die 27 mensis Ianuarii ad diem 27 mensis Iunii anno 2008, apud Curiam ecclesiasticam Granatensem, Inquisitio dioecesana celebrata est, quae die 19 mensis Iunii anno 2009 de iuridica validitate ab hac Congregatione de Causis Sanctorum adepta est decretum. Positione confecta, inde disceptatum est, usitatum per modum, an Serva Dei in gradu heroico christianas virtutes excoluisset. Consultores Theologi die 5 mensis Novembris anno 2020 votum adfirmativum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, diei 15 mensis Iunii anno 2021 Ordinaria in Sessione, Servam Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in*

Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Stellae a Iesu Iglesias Fidalgo (in saeculo: Mariae Aureliae), Sororis professae Religiosarum a Maria Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

MARCELLUS Card. SEMERARO
Praefectus

L. ✠ S.

✠ FABIUS FABENE
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

METENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Roberti Schuman, Christifidelis laici (1886-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Beatus ille servus, quem cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem. Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum» (*Mt* 24, 46-47).

Servus Dei Robertus Schuman Christo, eum ipsum ad proximum diligendum eique ministrandum vocanti, largitate respondit. Alta interiore vita roboratus, propositum istud iam a iuventute retinuit, usque ad vitae terminum.

Historiae, societatis reique publicae vices, inter quas Servus Dei vitam degit, tria magna bella denotaverunt, scilicet bellum Francogallicum-Borussicum primo, deinde mundana bella duo.

Servus Dei in loco v.d. *Clausen* natus est, intra Magnum Luxemburgi Ducatum, die 29 mensis Iunii anno 1886. Mater apud filium habuit pondus, christianis praeceptis eum instituit et, ut virtutes exerceret, orationes recitaret, Virginis devotionem coleret, Missae cotidie interesset, pietatis Eucharisticae curam haberet, instruit.

Secundariis nempe scholis apud Athenaeum Luxemburgense peractis necnon lycei studiis Metarum completis, in Universitatibus Bonnensi, Monacensi, Berolinensi atque Argentoratensi in Alsatia studium iuris incepit. Iisdem annis, catholicorum alumnorum sodalicio, quod "Unitas" appellabatur, interfuit, cuius actuositas tribus principiis continebatur, quae sunt "virtus, scientia et amicitia". Titulum advocati anno 1912 adeptus est ac munus praestare inchoavit.

Cum, primo mundano bello exstincto, Alsatia et Mosella denuo in dicione Franciae essent, Servus Dei cursum honorum incepit, quam missionem verumque apostolicum opus continenter duxit. Cursum istud quadraginta annos tenuit, quibus singulares iusti prudentisque viri, regendi periti, virtutes ostendit. Mosellae legatus electus est ac tum Concordatum defendendum anni 1801 cum Apostolica Sede societatisque iustitiam fovendam praecipue navavit.

Secundi mundani belli tempore, a cohorte v.d. *Gestapo* captus est, mense Septembri anno 1940 vinculis multatus, deinde, septem post mensibus, in domum relegatus. Die 1 mensis Augusti anno 1942 effugere valuit ac usque ad annum 1944 clandestino vixit.

Primum in coetu anni 1945 ad Constitutionem apparandam electus est, dein legatus inter publicum Francogalliae consilium. Rei publicae plurimis magni momenti muneribus functus est, videlicet aerarii administri, Praesidis Consilii et maxime, a mense Iulio anno 1948 ad mensem Ianuarium anno 1953, ab exteris negotiis administri. Totus et mente et animo in expediendas pecuniae societatisque quaestiones institit, necnon in discrimina quasdam inter Nationes dissolvenda, inter quae bellum Indosinense, Marochii Tunesiaeque clientela ac postea discrimen Algerii erant. Licet ipsum pernotae Declarationis diei 9 mensis Maii anno 1950 auctorem putare, quae recentioris Europae conditionis actus est habenda. Quam Servus Dei fraternitatis et pacis, complementi, mutuae fidei et Nationum concursus propositum potissimum existimabat.

Administer iustitiae quoque fuit necnon, ante omnia, verus pacis et reconciliationis peregrinus inter Nationes Europae, aliis cum rei publicae hominibus necessitudines usque excolens. Die 14 mensis Martii anno 1958 Servus Dei, iam Motus Europaei praeses, omnium rei publicae factionum consensu, primus Conventus Parlamentarii Consilii Europae, qui Parlamenti Europaei fuit initium, electus est praeses.

Anno 1959, gravi cerebri encephalomyelitis morbo est adfectus, qui vero insequentibus annis in peius mutavit. Sanctitatis fama exornatus, in domo sua apud locum v.d. *Scy-Chazelles*, prope Metas, die 4 mensis Septembris anno 1963 obiit.

Veram propter hanc sanctitatis famam, cui et sanctus Paulus VI in hora mortis eius obsecutus est, Servi Dei Causa beatificationis et canonizationis est incepta. A die 9 mensis Maii anno 1990 ad diem 29 mensis Maii anno 2004 apud Curiam ecclesiasticam Metensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum agnita est per decretum diei 10 mensis Februarii anno 2006. Positione confecta, disceptatum est, usitatum iuxta modum, an Servus Dei heroico in gradu virtutes christianas exercuisset. Consultores Theologi die 29 mensis Octobris anno 2020 votum adfirmativum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione die 15 mensis Iunii anno 2021 congregati,

Servum Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Roberti Schuman, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Iunii a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

TERGESTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Placidi Cortese (in saeculo: Nicolai), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium (1907-1944)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est» (*Mt* 5, 16).

Omni tempore historiae, Ecclesia Dei numquam hominibus caruit sedulis virtutibusque plenis, qui gestibus ostenderent eam, fulgidam civitatem supra montem positam, omnibus egenis adesse eosdemque, ut Christi solacium multipliciter reciperent, curare. Sic evenit, difficilioribus vigesimi saeculi temporibus, per Servum Dei Placidum Cortese (in saeculo: Nicolaum), religiosum sincerum et caritatis usque ad mortem exemplum, quo laus Patrem, qui in caelis est, decet.

Servus Dei natus est die 7 mensis Martii anno 1907 Chersi, hodie in Croatia. Religiosam vocationem percepit ac Fratrum Minorum Conventualium ingressus est Seminarium in Campo Sancti Petri, apud Patavium. Simplicilium votorum professionem emisit atque Chersum redivit, ut in Sancti Francisci Collegio lycei studia ageret. Inde Romam missus est ad theologicam formationem perficiendam. Die 4 mensis Octobris anno 1928 sollemnem professionem emisit ac die 6 mensis Iulii anno 1930 ordinatus est presbyter.

Aliquot annis confessoris munus explevit in Basilica Sancti Antonii Patavii, dein Mediolanum translatus est in ecclesia Immaculatae et Sancti Antonii, cuius conditio tunc erat complenda. Anno 1937 in Basilica Sancti Antonii Patavii denuo erat, uti commentarii, quod Italice *Il Messaggero di Sant'Antonio* inscriptum est, moderator. Eodem anno et Custos nominatus est Provinciae Patavinae. In conventum Sancti Francisci Chersi anno 1940 est transmotus.

Secundi mundani belli tempore, Nuntii Apostolici Italiae mandatu, Liburnos Slovenosque Italicis carceralibus in castris deportatos adiuvit, in primis in loco v.d. *Chiesanuova*, non longe a Patavio. Plurimis, quos nazistae persequebantur, ut fugam peterent, auxilium praebuit. Quapropter multum periclitatus est. Nam die 8 mensis Octobris anno 1944 comprehensus est a publicis, qui Germanice *Gestapo* appellabantur. Inde Tergesti castris stati-

vis militum, qui pariter *SS* nomen habebant, inductus est, ubi, acerbissime tortus, primis diebus mensis Novembris obiit.

Servus Dei omnia mente in Domino defixa continuataque precatione agebat, quam Eucharistiae celebratione ac in Mariam Sanctissimam et Sanctum Antonium devotione alebat. Inter eius cotidianas agendas res et in altitudine interioritatis eius, Deus principatum obtinebat. Simplicitate, mansuetudine et constantia sacramenta ministrabat maximeque animas cum Deo reconciliabat. Multum pati debuit, sed in angustiis numquam fractus est animo. Se Iesu Christo semper committebat atque misericordia Dei ei et aliis spei erat causa. Iam a iuventute, ut caritati Dei omnino responderet, studuit necnon cupiditatem bonum agendi continenter inter se colebat. Patientia et benevolentia pauperes recipiebat, quorum suscipiebat necessitates. Cibaria, vestes et alia largiebatur familiis ac operariis. Milites, actiones eius rei publicae causa agitas probabiliter interpretantes, in vincula duxerunt eum, at vero Servum Dei caritas tantum impellebat. Consilia evangelica excellenti modo exercuit, ita ut suam Franciscali in familia vocationem perficeret. Certas altasque propter eius virtutes, vera sanctitatis circumdatus est fama.

Qua numquam imminuente, Servi Dei instituta est Causa beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Tergestinam a die 29 mensis Ianuarii anno 2002 ad diem 15 mensis Novembris anno 2003 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 4 mensis Iunii anno 2010 est approbata. Et Inquisitio suppletiva habita est a die 18 mensis Iunii ad diem 25 mensis Octobris anno 2012, quam de iure validam haec eadem Congregatio per decretum agnovit die 17 mensis Maii anno 2013. Positione confecta, necnon Consultorum Historicorum iudicio die 31 mensis Ianuarii anno 2017 subiecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei virtutes christianas heroico in gradu excoluisset. Consultores Theologi adfirmative locuti sunt die 24 mensis Martii anno 2020. Patres Cardinales et Episcopi, diei 6 mensis Iulii anno 2021 Ordinaria Sessione occurrente, Servum Dei professi sunt theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia,*

Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Placidi Cortese (in saeculo: Nicolai), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 30 mensis Augusti a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

PATAVINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Christinae Cella Mocellin, Christifidelis laicae et matrisfamilias (1969-1995)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Domine, te tantum cupio! Te tantum amo! Te tantum quaero!».

Cum in suis actibus diurnis haec verba scriberet, Serva Dei Maria Christina Cella Mocellin sedecim annos iam non compleverat. Quod penitus cupiebat, quomodo tamen patefecit. Non tantum enim coram Deo vivere voluit, tam per Missam et precationem, quam per proximo ministrandum, sed etiam se postea Deo respondere praeparabat, ipsam inter bracchia Christi crucifixi totam offerre postulaturo. Illa sui ipsius oblatio, cum curationem incipiendam differiret ut tertius filius nasci posset, continuo ac progredienti fidei itinere confecta est, per quod ipsa omnino facta est Dei.

Serva Dei Maria Christina Cella Cinixelli Balsami nata est die 18 mensis Augusti anno 1969. Filiarum a Divino Zelo ludos litterarios in vico v.d. *Taccona*, prope Modiciam, frequentavit atque adulescentiae annos degit in Oratorio paroeciae Sacrae Familiae, a domo sua non longe, quo loco et Sorores Sanctae Ioannae Antidae Thouret operabantur. Eadem media adulescentia, cotidie Missae intererat ac spiritualibus frequenter recessibus. Sincero animo, quid Deus de vita eius vellet, quaerebat. Aestate anni 1985 Valle Stagna, cuius avi eius erant incolae, iuvenem Carolum Mocellin cognovit, quem diu habuit desponsum.

Anno 1986, cum a quodam studiorum tempore in Canada peracto redivisset, gravis cancerosus coxae sinistrae morbus, cuius signa duobus annis ante iam comperta erant, denuo apparuit. Die 19 mensis Decembris anno 1987 sectione chirurgica laboravit, dein chemotherapiae est subiecta. Debellatus morbus videbatur, ut Serva Dei, Maturitatis diplomate adepto, Universitatis Catholicae Mediolanensis Facultatem Exterorum Sermonum incepit. Mense Februario anno 1991 Carolus Mocellin et Serva Dei Cinixelli Balsami Matrimonium celebravere in paroecia Sacrae Familiae. Inde domicilium in vico v.d. *Carpané Valstagna*, intra provinciae Vicetinae fines, collocaverunt.

Franciscus anno 1991 et Lucia anno 1993 in lucem venerunt. Mense Octobri eiusdem anni, Serva Dei tertium filium gravida exspectante, cancer denuo inopinanter se ostendit. Atrocissimis in momentis huius rei de caritate Dei

numquam dubitavit, cui fiduciose se omnino commisit. Aliquot post mensibus valetudinarium ingredi coacta est, ut altera sectio chirurgica adhiberetur. Quamvis chemotherapiam ante inchoare deberet, ipsa vero, ne fetus in utero gestus laederetur, neglexit. Die 28 mensis Iulii anno 1994 ortus est Richardus.

Morbus autem progressus est ac pulmones quoque offendit. Unctionem Infirmorum suscipere Serva Dei postulavit, quod die 28 mensis Aprilis anno 1995 accidit, cum sane sanctae Ioannae Beretta Molla memoria liturgica primo celebraretur. Postremis vitae mensibus Serva Dei magis etiam clarum vocationis suae habuit sensum, id est se Dei, qui caritas est, esse vocari, per viri dilectionem suorumque filiorum. Calvarium eius die 22 mensis Octobris anno 1995 Passani ad finem pervenit.

Heroica Servae Dei vitae oblatio vere caritate impulsa est ac sustenta. Fide etiam et spe in Deum non caruit, quas multum iam ab adulescentia noscere atque excolere didicit. Et an Deus eam ad vitam consecratam vocaret quaesivit, cum sine dubitatione suum perciperet dictum Sororum a Caritate illud “Deus tantum!”. Hominis amorem tamen, sancto benedictoque more, experta est, plenam unionem cum Deo in christifidelis laicae statu per familiam perficiens. Quodam die viro suo scripsit: “Te amo, tu amas me, amor noster autem Dei nostri in caritate continetur”. Eius necessitudo Dei Eucharistica pietate quoque exserebatur, cuius sine adiumento numquam stare potuit. Christianae eius virtutes non solum coniugali condicione ergo refulgunt, sed etiam amicitia plurimorum, quae usa est, et suos in filios maternitate. Dolores, christiana fortitudine accepti atque sublati, etiam magis perfectum fidei et caritatis testimonium eius reddiderunt.

Cum progrediente tempore huius iuvenis matris sanctitatis fama numquam imminuisset, Episcopus Patavinus Servae Dei Causam beatificationis et canonizationis instrui censuit. Die 8 mensis Novembris anno 2008 Inquisitionem dioecesanam instituit, quam post ipse die 18 mensis Maii anno 2012 peregit. Haec Congregatio de Causis Sanctorum per decretum diei 18 mensis Aprilis anno 2013 iuridicam eius validitatem agnovit. Positione exarata, an Serva Dei virtutes christianas heroico in gradu exercuisset, secundum normas consuetas, est disceptatum. Consultores Theologi die 3 mensis Decembris anno 2020 adfirmativum votum protulerunt. Patres Cardinales et Episcopi, die 6 mensis Iulii anno 2021 in Ordinaria Sessione congregati, professi sunt Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Christinae Cella Mocellin, Christifidelis laicae et matrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 30 mensis Augusti a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Henricae Beltrame Quattrocchi, Christifidelis laicae (1914-2012)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Volumus prorsus memorare tot incognitas vel oblivione obrutas mulieres quae, sua quaeque pro facultate, familias et communitates suorum testimoniorum vi fulserunt et mutaverunt» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et exsultate*, 12).

Haec Summi Pontificis Francisci verba ad Servam Dei Henricam Beltrame Quattrocchi merito quidem adscribi possunt, familiariter vulgo *Enrichetta* nuncupatam.

Serva Dei die 6 mensis Aprilis anno 1914 nata est Romae, ultima quattuor filiorum Aloisii et Mariae Beltrame Quattrocchi, coniugum, in numero Beatorum a Sancto Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 21 mensis Octobris anno 2001 adscriptorum. Fratres a familia abierunt, ut suam ad vocationem religiosam responderent. Serva Dei autem Romae cunctam vitam in familiari domo degit. Apud Universitatem Studiorum Urbis, v.d. *La Sapienza*, doctoris gradum in recentioribus litteris adepta est, dein artis historia percalluit, quam quidem in lyceis docuit. Rei publicae administrationis, quae *Ministero per i Beni culturali e ambientali* Italice vocatur, praefecti quoque functa est munere.

Verbum Dei meditabatur, Eucharistiae intererat, pietatem Eucharisticam colebat, Officium divinum persolvebat, Rosarium orabat singulariterque sanctos venerabatur. Sic christianam fidem assidue ac penitus excolebat, qua cotidiana eius vita imbuebatur. Intimam altamque necessitatem Sanctissima cum Trinitate vixit. In magisterium Ecclesiae Pastorumque eius sincerum obsequium et oboedientiam ostendebat. Progrediente tempore et spiritualibus moderatoribus adiuvantibus, vocationem suam ab ea postulare intellexit ut veluti christifidelis laica, in familia permanens, pro bono proximi sese offerret. Plurimos catholicos ingressa est motus, inter quos ii quibus est nomen vulgo *Figlie di Maria*, *Sorelle Cristiane*, *Dame di San Vincenzo*, *Associazione Cattolica Internazionale delle Opere per la Protezione della Giovane*, *Associazione del Rosario Perpetuo*, *Foulard Bianchi*. Oblata

facta est Benedictina ac denique in sodalitate v.d. *Testimoni del Risorto* se consecravit. Haec omnia minime ad speciem fecit, at vere omnino se tradidit familiae curandae, docendi muneri solvendo, iuvenibus spiritualiter instruendis, aegrotis ad sanctuarium Lapurdense vel Lauretum ferendis, apostolatui pro pauperioribus exercendo.

Secundi totius mundi belli tempore, societatis v.d. *Croce Rossa Italiana* aegrotorum ministrae diploma adepta est ac militibus in valetudinariis opus praebuit, necnon rei publicae dissidentes civesque Hebraeos adiuvit, ut iniusta vincula vitarent. Tam domum suam, quam familiarem Serravalle Biblenensi villulam, non longe ab Arretio, episcopis, sacerdotibus, consecratis ac christifidelibus laicis recipiendis destinavit, sed etiam silentii et meditationis, precationis et caritatis operum reddidit locum. Prudenter, sapienter ac fideliter veram maternitatem spiritualem exercuit. Cum parentes Beati renuntiati essent, eorum institutionis exemplique hereditatem collegit ac ideo sanctitatis familiaris industriosa facta est testis. Summa humilitate se uti parvam lingulam in manu Dei describere solebat, id est parvum instrumentum, quo infinita Dei caritas hauriri ac erogari potest.

Octo et nonaginta annorum aetate, Romae in Domino obdormivit die 16 mensis Iunii anno 2012. Corpus eius, tunc intra coemeterium in Agro Verano conditum, hodie apud basilicam Sanctae Praxedis in Esquilino quiescit.

Fidei causa, Serva Dei omnia Domini aspectu videre cupiebat ac iuxta Evangelium omnia semper eligebat. Devotio in Cor Iesu Sacratissimum animam eius ad imitationem Christi informavit. Dilectione Patris confisa est, quod spem eius usque confirmavit. Vividam propter caritatem in Deum, se ei plene coniunxit, cui etiam ad reparationem peccatorum se ipsam bonaque opera sua offerebat. Veracis fidei mulier, honeste ac recte sua semper complevit officia similique modo suum praestitit opus. Plenam oboedientiam ad quartum Decalogi praescriptum praestans, curam parentum suorum egit atque fratris infirmi Tarsicii, presbyteri. Cum laborare deberet, temperantiam, patientiam et fortitudinem continenter ostendit. Evangelicorum consiliorum exercitio eminuit et praesertim puritatem cordis sobriumque vivendi modum semper servavit.

Sanctitatis propter famam, quae tam in vita quam post mortem crebrius Servam Dei circumdedit, censum est eius ipsius Causam beatificationis et canonizationis incipi oportere. Die 30 mensis Iunii anno 2017 haec Congregatio de Causis Sanctorum ut competentia fori ad archidioecesim Nea-

politanam transferretur concessit. Cuius ergo apud Curiam ecclesiasticam a die 6 mensis Aprilis anno 2018 ad diem 27 mensis Octobris anno 2018 Inquisitio dioecesana celebrata est eiusque iuridica validitas ab hac ipsa Congregatione agnita decreto die 1 mensis Februarii anno 2019 promulgato. Positione confecta, usitatum secundum iter, disceptatum est an Serva Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes in gradu heroico excoluisset. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 15 mensis Decembris anno 2020 faustum habuit exitum. Patres Cardinales et Episcopi, diei 6 mensis Iulii anno 2021 Ordinaria in Sessione congregati, Servam Dei professi sunt christianas virtutes heroico more exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Henricae Beltrame Quattrocchi, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 30 mensis Augusti a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

BELLUNENSIS - FELTRENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Pauli I (Albini Luciani) Summi Pontificis (1912-1978)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ioannes Paulus I (Albinus Luciani) a die 26 mensis Augusti anno 1978 Summus Pontifex fuit, usque ad diem 28 mensis Septembris eiusdem anni, cum in Apostolica Aede necopinata morte periret. Natus die 17 mensis Octobris anno 1912 in vico Furni Canalis, hodie Canale Agordino, Bellunensi in dioecesi, brevi tempore se ad sacerdotium vocatum cognovit. Ordinationem presbyteralem die 7 mensis Iulii anno 1935 suscepit in ecclesia Sancti Petri Apostoli Belluni ac sacerdotale ministerium in paroeciis inchoavit. Episcopus Bellunensis - Feltrensis eum in Seminario dioecesano rectoris vicarium ac magistrum constituit. Albinus Luciani in theologia doctoris gradum etiam adeptus est apud Pontificiam Universitatem Lateranensem. Bellunensem intra dioecesim plurima pastoralia officia gessit et laboris auxilio, in regimine illius Ecclesiae particularis agendo, suos Episcopos adiuvit. Dein Victoriensis Venetorum electus est Episcopus ac die 27 mensis Decembris anno 1958 a sancto Summo Pontifice Ioanne XXIII in Basilica Vaticana consecratus. Omnibus Concilii Oecumenici Vaticani II sessionibus interfuit. Vergente anno 1969 sanctus Summus Pontifex Paulus VI eum Venetiarum Patriarcham designavit, necnon die 5 mensis Martii 1973 Sanctae Romanae Ecclesiae creavit Cardinalem. Magni momenti muneribus functus est intra Coetum Episcoporum Italiae et Synodi Episcoporum partem habuit anno 1971 et anno 1977. Venetiis in primis operam dedit, ut Concilii praecepta apte reciperentur. Successor Petri electus, Ioannis Pauli I nomen sumpsit, duorum proximorum Decessorum eius nomina commiscens. Tres et triginta Pontificatus sui diebus humilem vivendi modum ostendit ac eximiam Evangelicam sobrietatem. Cum obiisset, eius sanctitatis famae testimonia per orbem terrarum usque increbruerunt. Die 8 mensis Novembris anno 2017 Summus Pontifex Franciscus Venerabilis Servi Dei heroicas virtutes agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio miram aestimatam cuiusdam puellae sanationem huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio su-

biecit. Res accidit in Argentina anno 2011, cum puella duodecimum ageret annum.

Die 27 mensis Martii in valetudinarium Paranae recepta est, capitis dolore, febri, nausea et vomitione, necnon movendi loquendique defectibus confecta. Ei igitur gravis comperta est encephalica nervorum systematis infirmitas. Duobus mensibus transactis, clinicae condiciones in melius minime mutaverunt et antispastica medicamenta se nihil valere demonstraverunt. Inde die 26 mensis Maii aegrota Bonaëropolim translata est, in vehementioris curae valetudinarii partem. Insequenti autem mense gravis status septicus accessit, quadam arteriarum pulmonisque inflammatione effectus. Medici igitur quoad vitam et quoad valetudinem infaustam ediderunt prognosim, de qua et parentes certiores fecerunt. Puellae mater, propter eius impendentis mortis nuntium fracto afflictoque animo, ecclesiae parochum Dominae Nostrae v.d. *de la Rábida* advocavit. Qui aegrotam visitavit eiusque sanationem per intercessionem Venerabilis Servi Dei invocare censuit. Nam ab infantia singularem devotionem in Ioannem Paulum I coluit. Ideo mater et sacerdos univocam invocationem una voce adhibuerunt, simplice sinceraque fide sustenta. Postridie, videlicet die 23 mensis Iulii anno 2011, puellae condiciones visae sunt praeter exspectationem mutavisse, diffusum statum septicum convalescere atque cursum sanguinis respirationemque denuo constare. Nec mense sequenti permanentem statum epilepticum quoque inveniebatur, adeo ut die 5 mensis Septembris puella domum rediret. Itaque evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et aegrotae sanationem, quae dein consequentibus annis inspectionibus medicorum frequenter supposita est, ad eius integram comprobandam valetudinem. Intellectus motusque facultatibus praestanter inde recuperatis, naturali socialique vita pollens, sana deinceps vixit.

De hac sanatione, apud Curiam ecclesiasticam Bonaërensem Inquisitio dioecesana a die 22 mensis Februarii anno 2016 ad diem 30 mensis Novembris anno 2017 celebrata est, cuius decretum de iuridica validitate editum est ab hac Congregatione de Causis Sanctorum die 27 mensis Aprilis anno 2018. Coetus Medicorum, in sessione diei 31 mensis Octobris anno 2019, declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem necnon ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Consultores Theologi die 6 mensis Maii anno 2021, necnon Patres Cardinales et Episcopi die 5 mensis Octobris eiusdem

anni, Ordinaria in Sessione congregati, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, adfirmative responderunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Ioannis Pauli I (Albini Luciani), Summi Pontificis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam puellae a "grave encefalopatia infiammatoria acuta, stato di male epilettico refrattario maligno, shock settico".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Octobris a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

BUSCODUCENSIS

Canonizationis Beati Titi Brandsma, Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum († 1942)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Annus Sjoerd Brandsma natus est quadam in villa loci v.d. *Bolsward*, in Neerlandia, die 23 mensis Februarii anno 1881. Ordinem Carmelitarum anno 1898 ingressus, sui patris nomen Titi sumpsit. Presbyteratus ordine auctus est die 17 mensis Iunii anno 1905 ac inde Romae studia complevit. Cum in Neerlandiam rediisset, philophiae mathematicaeque factus est magister, et plurima edidit scripta. Anno 1923 ad paulo ante conditam Studiorum Universitatem Catholicam Noviomagensem Batavorum philosophiae ac theologiae mysticae historiae magister factus est, cuius annum etiam nominatus est Rector. Commentarium periodicum v.d. *Karmelrozen* instituit, diuturnariis scriptoribus praefuit ephemeridis v.d. *De Stad Oss* atque anno 1935 Archiepiscopus Ultraiectensis eum consiliarium ecclesiasticum pro diurnariis scriptoribus catholicis Neerlandiae constituit, quapropter is ipse circiter triginta adherentibus ephemeridibus consulere debebat. In Hispaniam, Italiam, Hiberniam et Civitates Foederatas Americae Septentrionalis confecit itinera, de spiritalitate et Carmelitarum traditione scholas habens. Cum in Germania nationalis socialismus consisteret, de illa doctrina quasdam explicavit scholas, cuius paganam reprehendebat descriptionem quamque vero humanam dignitatem contemnere iudicabat. Germanis Neerlandiam invadentibus, Beatus quidquam, quod regimen propugnaret, promovere vel edere noluit. Nationem pererravit quoque, ad diuturnariorum scriptorum moderatores hortandos, ut contra coercitionem nazistarum resisterent. Comprehensus est a cohorte v.d. *Gestapo* die 19 mensis Ianuarii anno 1942 et aliquot per menses in custodia tutelari tenebatur diversis in Neerlandiae Germaniaeque castris pro hominibus continendis. Iisdem mensibus acta diurna exscribebat et quandam Sanctae Teresiae a Iesu vitam composuit. Ad castra Dachaviae ductus est, carro ad movendas bestias vectus. Illic interfectus est, acidi phenici infusione, die 26 mensis Iulii anno 1942. Cum Titi Brandsma verum martyrium fuisse agnitus esset, Summus Pontifex Sanctus Ioannes Paulus II eum Beatum die 3 mensis Novembris anno 1985 renuntiavit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio examini huius Congregationis de Causis Sanctorum cuiusdam sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum miram existimatam sanationem praebuit. Res Litore Palmensi accidit, in Florida.

Prima melanomae diagnosi producta atque chirurgica sectione iam anno 1997 adhibita, religiosus super sui capitis cute illius signa repperit, quae tarde, videlicet mensibus aliquot exactis, recidiva esse comperta est eiusdem oncologici morbi. Melanoma vehementer malignus apparebat, perfundens, plurimis cum metastasibus sitis in capitis, parotidis collique nodis lymphaticis. Ardua quaedam chirurgica sectio in Massachusetta peracta est, post quam aegrotus duos per menses et dimidium radiotherapiae adiuvanti est subiectus. Quae autem inutilis esse patuit huiusmodi cancro tractando. Omnes providebant sacerdotem non diutius victurum esse. Nam intra spatium duorum et summum quinque annorum morbus hic denuo exoriri solet. Cuius immo vero, plus quam quinque et decem annis exactis, quidpiam signum minime permanet ac religiosus et hodie naturali socialique vita pollet, sanus vivens.

Qui enim, statim ut eius morbi genus cognosceretur, se Beati Titi Brandsma intercessioni commisit, cuius devotionem iam ab annis in lyceo confectis colebat. Anno 1985 eius ipsius beatificationi interfuit quoque. Quandam Beati reliquiam adeptam, fronti, collo, faciei omnique corporis parti superposuit, in qua sciebat cancrum esse pervagatum. In paroecia, quam ipse uti parochus regebat, Beati imagines ediderunt, apposita oratione quidem inscripta ad sanationem eius petendam. Plus quam decem milia christifideles sic oravisse existimatur. Et Episcopus Litoris Palmensis Cancellariam dioecesanam adhortationem dimittere iussit, ut pro eodem, per Beati Titi Brandsma intercessionem, oraretur. Invocatio igitur univoca fuit, continua ac diuturna. Inter quam ergo et sacerdotis sanationem concursus temporis et consequentia patent.

Hoc de evento instructa est Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Litoris Palmensis, quae initium habuit die 11 mensis Iulii anno 2016 et die 12 mensis Decembris anno 2017 adducta est ad exitum. Haec Congregatio de Causis Sanctorum eius de iuridica validitate die 13 mensis Aprilis anno 2018 edidit decretum. Die 26 mensis Novembris anno 2020 Coetus Medicorum celerem, perfectam et constantem sacerdotis professi sanationem sub luce scientiae et medicinae inexplicabilem esse declaravit.

Dein, posito dubio an de vero miraculo divinitus patrato constaret, Consultores Theologi die 25 mensis Maii anno 2021 atque Patres Cardinales et Episcopi, die 9 mensis Novembris eiusdem anni ad Ordinariam celebrandam Sessionem congregati, positivam emiserunt sententiam.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Beati Titi Brandsma, Sacerdotis professi Ordinis Carmeliarum, videlicet de subitanea, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam sacerdotis professi a "melanoma metastatico ai linfonodi"*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Novembris a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

MONTIS REGALIS

Canonizationis Beatae Mariae a Iesu (in saeculo: Carolinae Santocanale), Fundatricis Congregationis Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi (1852-1923)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Carolina Santocanale Panormi orta est die 2 mensis Octobris anno 1852. Cum, ab anno 1884, ob diuturnum morbum lecto teneri coacta esset, ad Serafici Assisiensis discipulatum suo a spiritali moderatore informata, nigram Tertiariarum Regularium vestem induit ac Mariae a Iesu nomen assumpsit. Mensibus insequentibus aliquae iuvenes ei se congregaverunt atque omnes anno 1891 se contulerunt Cinisim, quamdam in Beatae necessariorum domum. Inter menses Martium et Iunium anno 1896 orphanotrophium institutum est, dein pueritiae ludus, paedagogium et suendi artis officina. Ioannes Maria Schiavo, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, auxilium laboris praestitit ut Congregatio canonice agnosceretur, Constitutiones ederentur et ipsa ad Ordinem eius aggregaretur. Servatis de iure servandis, Beata declarata est fundatrix Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi ac, una cum undecim Sororibus, quandam fusci coloris vestem induit, similem Fratrum Capuccinorum. Tum die 11 mensis Februarii anno 1911 religiosam emisit professionem, quam eandem undecim novitiarum insequenti mense Novembri accepit. Cuiusvis generis angustiae, dissensiones et iniuriae prima Congregationis decennia descripserunt ac Beatae etiam infirmitates non caruerunt corporis. Cum tribus ante diebus tantum iuris dioecesani Congregatio agnita esset, die 27 mensis Ianuarii anno 1923, quem ingentem laborem exercendo degit, Beata obiit. Congregatio postea pontificii facta est iuris anno 1947. Summus Pontifex Franciscus die 12 mensis Iunii anno 2016 Mariam a Iesu in numerum Beatorum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio rem, miram aestimatam, subiecit cuiusdam iuvenis mulieris, undetriginta annorum aetate, quae, praecocis menstruorum defectus diagnosi dudum edita, suam autem fertilitatem reciperavit. Res Cinisi accidit.

Illam ipsam diagnosim anno 2006 emittentes, medici iudicaverunt eam, tribus morbis simul affectam, numquam gravidam futuram. Quae immo vero se necopinato praegnantem mense Decembri anno 2016 animadvertit, gestationem fauste peregit, necnon, sex post menses quam pepercit, rursus gravidata est, inde alterum genuit filium.

Quamvis infertilitatem suam summa humilitate sicut voluntatem Dei accepisset, iuvenis mulier maternitatis spem in corde suo fideliter alebat. Quaedam amica suasit ei viroque eius, ut Cinisi ad sanctuarium Beatae Mariae a Iesu irent. Qui coram Beatae exuviis silentio precati sunt, cubiculum eius visitaverunt, parvam reliquiam ac orationem, illo tempore dicendam et toto ineunte mense, acceperunt. Prima gestatio illo quidem ipso precationum mense exacto apparuit. Ergo evidens est concursus temporis et consequentia inter Beatae intercessionis invocationem et mulieris gestationes, quae liberos sanos peperit atque, naturali socialique vita pollens, et ipsa sana vivere valuit.

De hac re a die 20 mensis Martii anno 2018 ad diem 10 mensis Aprilis anno 2019, apud Curiam ecclesiasticam Montis Regalis, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est agnita per decretum die 20 mensis Septembris anno 2019. Coetus Medicorum, die 28 mensis Ianuarii anno 2021, spontaneam et perfectam iuvenis mulieris fertilitatem resumptam ac duas gestationes feliciter peractas declaravit ex scientiae legibus inexplicabiles fuisse. Dein, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, Consultores Theologi die 1 mensis Iunii anno 2021 atque Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione die 19 mensis Octobris eiusdem anni congregati, votum adfirmativum protulerunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo divinitus patrato per intercessionem Beatae Mariae a Iesu (in saeculo: Carolinae Santocanale), Fundatricis Congregationis Sororum Capuccinarum ab Immaculata Lapurdensi, videlicet de spontanea et perfecta fertilitate resumpta ac duabus gestationibus feliciter peractis cuiusdam iuvenis mulieris tribus morbis affecta, id est "Miastenia*

gravis, Tiroidite di Hashimoto, Sindrome da insufficienza procreativa autoimmune".

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Novembris a. D. 2021.

Marcellus Card. Semeraro
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Fabius Fabene
Archiep. tit. Faliscodunensis, *a Secretis*

ACTA DICASTERIORUM

DICASTERIUM PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Dicasterio pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus PP., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 22 Augusti 2022. — Episcopali Ecclesiae Acariguaraurensi R.D. Gerardum Ernestum Salas Arjona, e clero archidioecesis Emeritensis in Venetiola, hactenus Subsecretarium Conferentiae Episcoporum Venetiolanae.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, 25 agosto, S.E. la Signora Katalin Novák, Presidente della Repubblica di Ungheria.

Il Santo Padre ha compiuto una Visita Pastorale a L'Aquila, dove ha presieduto la Santa Messa sul piazzale della Basilica di Santa Maria in Collemaggio e il rito dell'apertura della Porta Santa che ha dato inizio alla 728.ma Perdonanza Celestiniana, il giorno 28 agosto.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

6 agosto 2022 S.E.R. Mons. Paolo Rocco Gualtieri, Arcivescovo tit. di Sagona, finora Nunzio Apostolico in Madagascar, nelle Seychelles e in Maurizio, Delegato Apostolico nelle Isole Comore e in La Riunione, *Nunzio Apostolico in Perú*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

31 maggio 2022 Il Rev.mo Padre Alexandre Awi Mello, I.Sch., *Segretario del Dicastero per i Laici, la Famiglia e la Vita «ad aliud quinquennium»*.

6 giugno » L'Ecc.mo Mons. Charles Jude Scicluna, *Presidente del Collegio per l'esame dei ricorsi in materia di delicta reservata «ad aliud triennium»*.
Gli Ecc.mi: Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru; Mons. Filippo Iannone; Mons. Andrea Migliavacca; Mons. Egidio Miragoli; Mons. José Luis Mollaghan; Mons. Pierantonio Pavanello; Mons. Carlo Roberto Maria Redaelli; Mons. Cyril Vasil', *Membri del Collegio per l'esame dei ricorsi in materia di delicta reservata «ad aliud triennium»*.
L'Em.mo Signor Card. Giuseppe Versaldi, *Membro del medesimo Collegio «usque ad octogesimum annum aetatis»*.

25 luglio » Il Rev.do Prof. Maurizio Gronchi, *Consultore del Dicastero per la Dottrina della Fede «ad aliud quinquennium»*.

28 » » Il Ch.mo Prof. Carlo Ebanista, *Membro della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra «ad aliud quinquennium»*.

2 agosto » L'Ecc.mo Mons. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru e il Rev.mo Mons. Udo Breitbach, *Membri della Commissione Disciplinare della Curia Romana «ad aliud quinquennium»*.

1 settembre » L'Ecc.mo Mons. Antonio Staglianò, finora Vescovo di Noto, *Presidente della Pontificia Accademia di Teologia «ad quinquennium»*.

NECROLOGIO

6	agosto	2022	Mons. John Walter Yanta, Vescovo em. di Amarillo (*Stati Uniti d'America*).
7	»	»	Mons. Robert Mikhail Moskal, Vescovo em. di Saint Josaphat in Parma degli Ucraini (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Koru Tito, Vescovo eletto di Tarawa and Nauru (*Kiribati*).
8	»	»	Sua Em.za il Sig. Card. Jozef Tomko, del Titolo di S. Sabina, Prefetto em. della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, Presidente em. del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici Internazionali.
12	»	»	Mons. Lewis Jerome Zeigler, Arcivescovo em. di Monrovia (*Liberia*).
13	»	»	Mons. Antonino Orrù, Vescovo em. di Ales-Terralba (*Italia*).
»	»	»	Mons. Ângelo Domingos Salvador, O.F.M. Cap., Vescovo em. di Uruguaiana (*Brasile*).
19	»	»	Mons. Jorge Luis Lona, Vescovo em. di San Luis (*Argentina*).
20	»	»	Mons. Séamus Freeman, S.A.C., Vescovo em. di Ossory (*Irlanda*).
22	»	»	Mons. António de Sousa Braga, S.C.I., Vescovo em. di Angra (*Portogallo*).
»	»	»	Mons. Rembert George Samuel Weakland, O.S.B., Arcivescovo em. di Milwaukee (*Stati Uniti d'America*).
23	»	»	Mons. Luiz Mancilha Vilela, SS.CC., Arcivescovo em. di Vitória (*Brasile*).
25	»	»	Mons. Dale Joseph Melczek, Vescovo em. di Gary (*Stati Uniti d'America*).
26	»	»	Mons. Slavko Večerin, Vescovo di Subotica (*Serbia*).
28	»	»	Mons. Gastone Simoni, Vescovo em. di Prato (*Italia*).
»	»	»	Mons. John Baptist Ye Ronghua, Vescovo Prefetto Apostolico di Ankang [Hinganfu, Ankang] (*Cina Continentale*).
»	»	»	Mons. Peter Stephan Zurbriggen, Arcivescovo tit. di Glastonia, Nunzio Apostolico.
29	»	»	Mons. Paul-Marie Cao Đình Thuyén, Vescovo em. di Vinh (*Viet Nam*).
2	settembre	»	Mons. Joseph Cheng Tsai-Fa, Arcivescovo em. di Taipei (*Taiwan*).